



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Disputatio IV. De intellectionibus in particulari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

Primo objectum sensibile producit sui species, vel si illas non habet, conjungitur sensorio. Deinde productæ species recipiuntur in sensu, complentque sensum, ut producat speciem expressam v.g. visionem ocularem, subinde determinatur etiam sensus communis, ut idem objectum noscat & phantaseretur ex communiori sententia sibi fabricat speciem impressam materiale, remanentem naturaliter, etiam amoto objecto, specieque impressa habita procedit phantasia ad speciem expressam formandam, ponendamque phantasiam visi objecti repræsentativam. Rursus pro sua parte, intellectus noscitur objectum illud materiale, format sibi per intellectum agentem speciem impressam spirituale, per hancque completur ex sententia multorum, etiam præsentæ actuali sensatione objecti, ut intellectus patiens suo officio fungatur, adeoque formet speciem expressam objecti, sensu

percepti, remanetque postea duplex species. Prima illa species impressa antecedens speciem expressam spirituale. Secundò manet illa species impressa, quæ ostendit, habitam speciem esse expressam huius objecti, seu fuisse illud cognitum, Prima specie utitur anima ad directas noticias fabricandas, secunda autem utitur, quando fabricat sibi similem notitiam, sed simul repræsentantem, quod hoc etiam in ante cognitum fuerit. Positis illis variis speciebus impressis, comparat anima similitudinem & dissimilitudinem objectorum, ad imitationemque præhabitarum specierum impressarum, quæ erant de rebus singularibus & materialibus, procedit ad formandas alias species impressas rerum universalium, & spiritualium, idque ex collatione objectorum, & ad similitudinem aliarum specierum, quo posito, redditur apta, ad noscenda universalia, spiritualia &c. objecta.

DISPUTATIO IV.

De Intellectionibus in Particulari.

Primum agendum hîc esset de tribus Intellectûs operationibus, sed de his actum est sufficienter in Logicis.

NOTO I. Copulam in Propositione, necessariò habere respondentem sibi objectivam identitatem, alia phrasi idem exprimitur quod scilicet objectum iudicii, non sint sola extrema. Est contra Valquez 1. parte Disp. 223. & contra Cominbricenses in caput 4. Peri hermenias.

RATIO I. Quia si non responderet quidquam particulæ: Est, & esset cognitio illa iudicativa & non esset, esset ut supponitur, non esset autem, quia per nihil, posset distingui, à prima operatione; & certè subjectum & Prædicatum possunt esse simul objectum primæ operationis, & constituere terminum complexum.

Ergo per hoc præcisè quod simul apprehendatur subjectum & prædicatum, non distinguitur prima & secunda operatio, cum iudiciû per te non sit aliud, nisi ipsi illi duo termini apprehensi.

RATIO II. est. Impossibile est esse iudicium quin sit verum vel falsum. Sed si secunda operatio non esset nisi duo extrema, possibile esset iudicium neque verum neque falsum. Quod ipsum probatur. Isti termini, Homo lapis si per te habent veritatem Propositioni debitam quamvis nihil respondeat particulæ Est, formabo hanc propositionem, Homo est lapis, en reddetur falsa, si autè dicas illos terminos habere falsitatem formabo hanc Homo non est lapis, quæ tamè est vera propositio. Ergo apparet propositionem quâ talem non stare in duobus terminis simul apprehensis.

RATIO III. est. Quia tertia operatio non est duæ secundæ operationes, ergo nec secunda operatio sunt duæ operationes primæ, h. e. prædicatû & subjectum, aliàs non dabantur etiam tres ope-

rationes intellectus, sed non nisi prima, quæ duplicata supponat pro secunda operatione & triplicata supponat pro tertia operatione.

NOTO II. Iudicium illud quo stat secunda operatio esse Qualitatem indivisibilem idemque proportionatiter dicendum de iudicio illativo.

RATIO I. Ex Oviedo est. Quia cum dico, Homo est rationalis, iste actus est simplex, Quod ipsum probat. Quia hic actus dicit hominem & rationale convenire, & hoc ipso, quia dicit hominem & rationale convenire, dicit etiam rationale convenire homini, hæc enim idem sunt. Ergo quando dico homo convenit cum rationali, superfluum erit, iste alius actus, rationale convenit cum homine, consequenter secunda operatio erit unus adeoque indivisibilis actus.

RESPONDERI posset huic argumento, retorquendo illud. Probat enim quod quando dico, Pater refertur ad filium. Sit actus otiosus, si dicam filium referri ad Patrem; Rursus non insuetum est, ut ea quæ in obliquo ponuntur, si ponantur postea in recto diversum sensum faciant. Denique sicut fieri potest, ut unum referatur ad aliud, & vicissim illud non referatur ad ipsum, ita etiam fieri potest ut non eundem identitatis modum dicat subjectum cum prædicato, quem dicit Prædicatum cum subjecto; & ita rationale dictum de animali, dicit identitatem cum animali, sed cum modo irreperibilitatis sine animali, cum tamen subjectum, hoc est animal dicat identitatem sed cum reperibilitate sine rationali, quâ saltem vel simili diversitate interveniente cur non erit Locus diverso Iudicio adeoque bino & excludente rationem indivisibilis qualitatis à secunda operatione.

RATIO

RATIO secunda est. Quia impossibile est attingere identitatem duorum, vel negationem identitatis eorundem; quin hoc ipso actu concipiam illa duo. Ergo neque possibile est, concipere identitatem vel negationem identitatis Prædicati & subiecti, quin hoc ipso actu attingam Prædicatum & subiectum, quod enim verum est de identitate vel negatione identitatis duorum in communi verum etiam debet esse de identitate vel negatione identitatis prædicati & subiecti tanquam de singularibus in illo communi contentis Antecedens in quo est Difficultas probatur. Tum quia compossibile est relativum concipi sine suo termino. Ergo etiam impossibile est identitatem duorum concipere sine illis terminis. Tum quia si unum tantum concipiat non erit identitas duorum, nam unum non sunt duo. Quod si impossibile est concipere identitatem duorum vel negationem identitatis duorum quin hoc ipso actu concipiam illa duo. Ergo otiosus erit alius actus & superfluous consequenterque iudicium quod illi identitati attendit stabit in uno actu, eritque simplex Qualitas?

RATIO tertia. Quia si non esset simplex Qualitas secunda operatio, non posset dari unquam una secunda operatio, utpote semper duplici iudicio constans, non potest autem dici quod non possit dari una secunda operatio, cum etiam de illa status Quæstionis procedat, an scilicet una secunda operatio sit simplex Qualitas; Indubie enim duæ secundæ operationes sunt duæ Qualitates.

DICES I. Id quod constat partibus non est simplex qualitas, cum tamen iudicium constet partibus, hoc est, prædicato & subiecto.

RESPONDETUR. Subiectum & Prædicatum non sunt pars iudicii, objectum autem in quod cadit iudicium, hoc est, identitas vel negatio identitatis objectiva est quid indivisibile.

DICES II. Diversus est actus conclusionis ab actu iudicii quod est in secunda operatione. Ergo & actus iudicii de connexionione subiecti cum Prædicato. Diversus erit ab actu iudicii de connexionione prædicati cum subiecto.

RESPONDETUR. Negando consequentiam. Disparitas est. Quia nisi iudicium tertiæ operationis sit distinctum à iudicio secundæ, non habebit per quid constitutur tertia operatio quod absurdum non sequetur, etiam si unico iudicio, constet secunda operatio una quæ hoc ipso una non esset, si diversa iudicia haberet.

DICES III. Diversa est apprehensio quod Pater sit qui habet Filium & Filius sit qui habet Patrem. Ergo etiam est diversum iudicium quo iudicatur identitas Subiecti & Prædicati ab Identitate Prædicati & Subiecti.

RESPONDETUR. Diversitatem illam apprehensionū omni ex diversitate objecti directi hic quidem quod est entitas Patris & illic quod est entitas Filii: quia autem siue iudicem identitatem

prædicati cum subiecto, siue subiecti cum Prædicato, idem est objectum, nempe identitas affirmata, ideo & iudicium idem erit, affirmationes quidem respicientes subiectum sub conditione subiecti, sunt diversæ ab affirmationibus respicientibus prædicatum sub ratione prædicati, affirmatio tamen identitatis utriusque est eadem indivisibilis & objectum indivisibile sicut & ipsum Ly Idem indivisibile est.

QUÆSTIO I.

Quid Intellectio Intuitiva & Abstractiva.

Non est necesse hic omnes notitias percurrere, quia aliqua quidem quantum ad Philosophum pertinet sunt sufficienter traditæ, ubi de divisione scientiæ & in secunda operatione, ubi de veritate contingentium actuum. Aliqua etiam Intellectiones v.g. Simplicis intelligentiæ, visionis, &c. ex praxi communi in Theologia tractantur. Hic faciemus eas, quæ commodè hic explicari possunt, impedirentque longitudine Theologum.

DIFFICULTAS I.

Quid per alios dicæ Intellectiones.

Intuitus propriissimè, aut saltem magis manifestè significat visionem corporalem, à qua translatum est nomen ad intellectiones, quarum aliqua intuitiva appellantur.

EXPLICAT I. Recentior Suarez. Quod cognitio intuitiva sit cognitio rei præsentis, ut præsens est: jam autem abstractiva cognitio rei, non ut præsens est; Idem docet Scotus in 2. distinct. 3. quæst. 6. num. 6. Hæc explicatio

NON SATISFACIT I. DEUS Antichristum cognoscit intuitivè & tamen non cognoscit rem præsentem ut præsens est, ergo cognitio intuitiva non est cognitio rei præsentis, ut præsens est. Antecedens probatur. De quo falsum est dicere est præsens, de illo falsum est dicere quod cognoscatur præsens, prout præsens est. Sed de Antichristo falsum est dicere, quod sit præsens. Ergo falsum est dicere, illum cognosci præsentem prout præsens est. Major Probatur. Quia prius est esse præsentem, postea cognosci præsentem: ideo enim cognoscitur præsens, quia est præsens. Deinde illa cognitio si cognosceret præsens, quod non est præsens, esset cognitio falsa. Jam autem nec Divina cognitio, nec intuitiva creata, falsa est.

RESPONDEBIS. DEUM noscère omnia in sua præsentia, quam habent ad æternitatem adeoque ut præsentia.

CONTRA. Quia quando assumitur DEUM noscere omnia in præsentia non hoc significatur, quasi dicat illud objectum. DEUS non habere rationem futuri, sed tantum hoc significatur, quod determinativum, ut hæc potius pars quam illa noscatur, petatur ex præsentia.

sentialitate determinata eorundem ad aternitatem, significatur item quod ad Divinam notitiam non comparentur illa ut futura, hoc est, postea noscenda, restabitque querere: Quid sit aliquid noscere intuitivè in sua præsentialitate, nec enim repugnat aliquid, in sua præsentialitate noscere, & tamen abstractivè.

NON SATISFACIT II. DEUS intuitivè cognoscit tres differentias temporis, hoc est, præsens, præteritum, & futurum, ex quibus excepto præsenti, non potest cognoscere reliqua præsencia ut præsencia, cum essentialiter negent præsencia.

RESPONDEBIS. Futura à DEO intuitivè cognosci, prout sunt præsencia in certa differentia temporis, quæ nondum advenit; præterita item cognosci in præsencia temporis & differentia quæ jam præterit.

CONTRA est. Quia cognoscit DEUS, intuitivè, differentiam inter præsens, quod est, & inter præsens quod futurum est, & enuntiat de illis, illa non esse idem, quod enuntiare non posset, si futurum quæ tale non cognosceret. Hoc ipsum sic aliter proponitur. Præsens quod nondum advenit, intuitivè DEUS cognoscit, & enuntiat de illo: falsum est quod jam advenerit; quero ergo, an cognoscat hoc Ly quod non advenerit? vel non, si non cognoscit, qui illud enuntiat: si cognoscit, ergo cognoscit futurum, & quidem non sub ratione præsents, sed sub ratione ejus, quod nondum advenit. Deinde, vera hæc est Propositio & intuitivè à Deo cognita, futurum non est præsens, tunc quero. An hæc sit in Deo identica Propositio? Si identica sensus illius erit Præsens est præsens. Si non est identica, quero, huic termino Ly Futurum, respondetne aliquid quod formaliter ex modo nostro concipiendi, non respondet termino præsens? Si non respondet aliquid formaliter distinctum, ergo illa propositio erit identica. Si respondet, ergo cognoscit futurum, prout distinctum à præsenti & tamen cognoscit illud futurum intuitivè. Ergo apparet, de ratione intuitivæ, non esse, noscere præsens ut præsens.

NON SATISFACIT III. hæc Explicatio. Quia nos non nisi abstractivam cognitionem habemus de Deo, & tamen illam habemus de Deo, prout præsente, qualis est hæc ipsa, quæ concipit, reduplicationem Dei præsents, prout præsens est. Sicut cognoscere parietem affectum, albedine inquit Pontius, est cognoscere ut album. Deinde ut advertit Oviedo. Si cognitio intuitiva debet esse objecti ut præsens est, eadem cognitio poterit esse intuitiva & abstractiva v. g. casu, quo video per intelligentiam intuitivam objectum præsens, potest Deus annihilare objectum, & eandem cognitionem conservare in absentia illius objecti, quæ enim in hoc implicantia? ergo non est de ratione intuitivæ cognitionis, esse cognitionem rei præsents, ut præsens est.

RESPONDEBIS. Cognitionem intuitivam esse cognitionem rei præsents ut præsens est in hoc sensu: quia videlicet debet causari ab ipso met objecto ut existente & præsente secundum se, & non à speciebus emendicatis ab aliis rebus.

CONTRA est. Quia saltem divinitus posset esse notitia intuitiva à speciebus emendicatis, & circa objectum non existens, nec ab illo causari ut casu quo Deus utatur pariete, ad producendam speciem germanam Antichristi, illamque ponat, in intellectu Petri. Ergo esse notitiam intuitivam non est illam causari ab objecto ut existente, aut causari à speciebus non emendicatis.

Inferes ex adlatis rationibus, esse necesse, explicari specialiter, quid sit istud præsens cognosci objectum, tuncque primum videri, an ipsum illud futurum sit legitime explicativum, notitiæ intuitivæ.

EXPLICAT II. Pontius hic Disp. 53. num. 108. Illam scilicet esse cognitionem intuitivam, quæ cognitio terminatur ad ipsum objectum secundum esse suum reale actuale, & non secundum esse intentionale. Hæc explicatio

NON SATISFACIT. Tum quia per illam sequitur, futura quæ talia intuitivè cognosci non posse, non enim habent esse reale actuale. Tum quia DEUS non habet esse reale actuale sine attributis, & tamen videri potest intuitivè sine attributis de quo in prima parte. Tum quia cognitio quam habemus de DEI existentia est abstractiva, & tamen terminatur ad DEUM, secundum esse illius reale: non enim intentionaliter DEUS existit. Denique quando dicit scientiam visionis non terminari ad objectum secundum esse intentionale, vel intelligit esse intentionale fictum, & sic nostra cognitio de DEO existente, erit intuitiva, non enim terminatur ad esse fictum. Vel intelligit non debere terminari notitiam intuitivam ad objectum secundum esse intentionale, hoc est secundum esse, prout subest nostris secundis intentionibus. Nihil explicat, quia non terminari ad esse intentionale objecti, erit non terminari, ad esse, prout subest nostris intentionibus; terminari autem ad objectum non secundum quod subest nostris intentionibus, est terminari ad illud non secundum quod abstrahitur; atque adeo à primo ad ultimum, cognitio intuitiva, erit cognitio non abstractiva, de quibus utrisque simul sumptis queritur, quid sint?

EXPLICAT III. Suarez, Vasquez & alii, cognitionem intuitivam illam esse, quæ attingit omnes formalitates objecti, nullâ præcisione factâ inter illas. Hæc explicatio

NON SATISFACIT I. Tum quia ut dicitur in prima parte, potest videri essentia sine attributis. Ergo non est de ratione intuitivæ, non esse præcisionem.

Dein-

Deinde communicare potest Pater naturam Divinam Filio, & non communicare Paternitatem. Ergo multo magis poterit terminare cognitionem naturae Divinae & non terminare Personam, idque notitiam intuitivam, neque enim adferetur disparitas, nisi per dictam definitionem quae ipsa negatur.

NON SATISFACIT 2. Quia si de ratione intuitivae est attingere omnes formalitates objecti, nullam praecisionem factam inter illas, etiam visio ocularis, non erit cognitio intuitiva, quia non attingit omnes formalitates objecti, non enim attingit rationem entis, rei, sed solam rationem colorati. Rursus cognitio omnipotentiae beatifica, est intuitiva, & tamen non discernit omnes formalitates illius, quia nec attingit Terminos omnes creabiles.

NON SATISFACIT 3. Duplices sunt formalitates objecti adaequatae & inadaequatae. Adaequatae sunt tota Entitas. Inadaequatae, sunt aliquid illius Entitatis, quo posito sic urgetur: Si attingantur adaequatae formalitates cognitione aliqua abstractiva, ut attingi illas non repugnat non erit actus ille Intuitivae. Ergo apparet in ratione intuitivae non constitui notitiam, praecise per rationem attingentis omnes formalitates. Rursus potest dari intuitiva adaequata, Ergo poterit dari & intuitiva inadaequata, & sicut inadaequata Formalitas. hoc ipso quia inadaequata est, non amittit esse Formalitatis; ita & cognitio quae attinget Formalitatem inadaequatam, non desinet esse intuitiva. Quod ipsum sic ulterius proponitur. Quando videtur objectum adaequate per cognitionem intuitivam, vera est haec Propositio: Totum videtur intuitivae. Ergo est explicabilis per descensum & hoc videtur intuitivae, & illud videtur intuitivae; Cur ergo fieri non poterit, ut sit possibilis alia cognitio, eodem modo intuitiva formalitatis: A quo modo est intuitiva ea notitia quae omnes formalitates adaequate attingit, hoc ipso dempto, quia se non extenderet ad omnes alias formalitates.

RESPONDETUR communiter. Quod ad intuitivam, spectet attingere omnia, quae attingibilia sunt, cum ergo non sit attingibilis. v.g. Ratio accidentis ab oculo, salvari poterit ratio visibilis quamvis non videatur accidens.

CONTRA EST. Tum quia vel intelligit per Ly: *debet totum attingi quod potest attingi*, vel inquam intelligit, attingibilitatem absolutam, ut scilicet si sit visio supernaturalis, attingantur omnia attingibilia visione supernaturali, & si sit visio naturalis, attingantur omnia attingibilia visione naturali, & hoc non potest dici, quia alias visio beata non esset intuitiva, quia non attingit omnia, quae supernaturaliter in Deo videri possunt. Rursus visio ocularis non erit intuitiva, quia à longè multa non videntur quae visibilia sunt, de propinquo. Quod si per Ly *attingere omnia quae potest intelligatur restricta attingibilitas*, quod scilicet illa visio, attingat omnia, quae illa visione attingibi-

lia sunt, modo attingatur objectum, secundum quod ipsum, restabit inquirere, cur non possit esse visio restricta, ad hanc formalitatem, & cognoscens illam, secundum quod ipsa est, attingendo objectum non irrestrictè & simpliciter, sed restrictè, modo suae attingitivitati proportionato. Tum quia haec responsio supponit, quod sensus non possit percipere distinctionem, adeoque nec praescindere, quod tamen competit intellectui. Sed conceditur, quod non distinguat oculus, quia ad hoc est necesse, utrumque membrum distinctionis attingere. Sed cur non potest sine praedicato distinctionis, videre album, & non videre rationem accidentis. v.g. Quod si hoc potest oculus, poterit & intuitio intellectualis. Demus etiam quod non distinguendo id faciat, sed simpliciter non attingendo objectum. Tum quia ut urget Oviedo. Si objectum non attingatur in formalitate non attingibili ab illa visione, non deficiet ratio visionis. Ergo etiam si non attingatur ex alio capite, adhuc poterit stare ratio cognitionis intuitivae.

Solutio argumentorum in contra petatur ex prima Parte, & ex Materia de Praecisionibus.

DIFFICULTAS II.

Continuatur eadem Materia.

EXPLICAT 4to. Martinon & non pauci alii, quod intuitiva cognitio, sit cognitio per proprias species objecti, & abstractiva per species alienas. *Haec explicatio.*

NON SATISFACIT 1. Quia in multorum sententia, nec videtur Deus per speciem impressam, nec videri potest intuitivae, & tamen intuitivae attingitur. Ergo apparet per Ly noscere per proprias species (ut sonat acceptum) non rectè explicari intuitivam.

NON SATISFACIT 2. Quia ut advertit Oviedo si Deus mecum concurreret ad visionem coloris existentis, non media specie propria, non mediâ etiam alienâ, neque immediatè ipso objecto concurrente, sed solo Deo determinante ad visionem, illa visio esset cognitio intuitiva, non enim fieri illam, talem repugnat, & tamen neque esset per proprias species, neque immediatè concurrente objecto. Ergo de ratione intuitiva non est, videri, per proprias species.

NON SATISFACIT 3. Quia non implicat contradictionem, assumi à Deo tanquam instrumentum obedientiale, speciem alienam, ad producendam cognitionem intuitivam. Ergo stare potest ratio cognitionis intuitivae, cum concursu specierum alienarum, ad eum modum, quo assumere potest oculus, ut producat mortuo modo auditionem, & ad eum modum, quo assumere potest aquam, ad producendam etiam physicè gratiam.

Neque valet si dicas per species proprias, te intelligere: non species impressas, sed expressas, Non inquam valet: Quia hoc non esset explicare quid sit cognitio intuitiva. Si enim quæram ex te, quid sit cognitio intuitiva Angeli, respondebis:

† (Q)

debis: Esse cognitionem per speciem expressam propriam objecti, hoc ipsum autem ego quæro quid sit?

Rursus si intelligis per species proprias speciem expressam, Dico nos intuitivè cognoscere Deum, quia conceptus hic, qui latet sub entibus illis rationis, quæ formamus concipiendo Deum, est proprius Dei, hoc sensu, quia nulli alteri, præter Deum conveniens, & quia concipitur prædicata, quæ demonstrativè, v.g. conveniunt non nisi Deo.

RESPONDERI POTEST 1. Quando dicitur cognitionem intuitivam fieri debere per species proprias, sensus est, non debere fieri per alias.

CONTRA EST. Quia per te cognitio abstractiva est, quæ fit per species alias, Ergo cognitionem intuitivam fieri non per species alias, erit illam fieri non per abstractionem. De quo ipso queritur.

Deinde redit Argumentum factum, quod ostendebat, cognitionem intuitivam etiam per species alias fieri posse. Denique Quia non idè dicimus, DEUM intuitivè à beatis videri, quia illum non concipiunt, per modum sensus, aut Luminis, sed quia concipiunt eum secundum quod ipsum est, ad quod consequitur non nosci per species alias. Ergo istud Ly nosci per species alias, non est definitivum notitiæ intuitivæ.

RESPONDERI POTEST 2. Intuitivam cognitionem fieri debere per proprias species, vel aliquid illis æquivalens, v.g. ipso objecto concurrente, Deo vices specierum propriarum supplente &c. ut fieret, si elevarer Deum alias species ad producendam intuitivam.

CONTRA EST. Quia jam per te cognitio intuitiva erit, sive fiat per proprias species, sive per alias, vices propriarum supplentes, Ergo abstractiva per te erit illa, quæ producitur per alias species, non supplentes vicem propriarum. Ergo nihil explicas quid sit abstractiva cognitio, ad eum plane modum, quo si posset dealbare nigredo, non rectè albedinem diceret illam esse, quæ dealbat, nisi aliunde assumatur aliquid tanquam instrumentum dealbationis. Deinde queritur hic in quo formaliter consistat cognitio intuitiva, non verò à quo causatur. Ergo si fieri potest, non debes respondere per id, quod est causativum talis cognitionis ut sunt causativæ in plurium sententia species. Denique cognitio producta ab intellectu per species proprias est intuitiva, producta per alias, vices propriarum supplentes, est intuitiva & quæro ergo an cognitiones à tam diversis principiis profectæ, convenient in ratione intuitivarum vel non? Si non conveniunt. Ergo immeritò dicitur à tam diversis principiis intuitivam posse principiari, si conveniunt. Ergo illud potius erit formaliter constitutum intuitivæ notitiæ.

EXPLICAT 6. Oviedo Cognitionem intuitivam, quæ non attingitur objectum instar alius objecti, à se distincti. Abstractiva autem illa est, quæ objectum instar alius à se distincti, cognoscitur.

Hæc sententia habet etiam fundamentum in Conimbricensibus qui volunt illam esse scientiam intuitivam, per quam videtur objectum in se. Illam verò abstractivam, per quam videtur objectum in alio. Contra hanc sic propositam explicationem sunt instantiæ.

Quia DEUS noscit, creaturas in sua omnipotentia, & tamen videt illas intuitivè se ipsum item videt intuitivè in creaturis, comprehensio item effectuum in causis & causarum in effectibus, est intuitiva, & tamen in alio, ut sic de reliquis. Has instantias ut vitaret Oviedo, alia phrasi definitionem concepit, quæ nihilominus

NON SATISFACIT 1. Quia esse intuitivam cognitionem, non dependet ab alio objecto negato. Ergo male definitur, intuitiva cognitio, quod sit ea, quæ non attingit objectum instar alius. Antecedens probatur. Si per impossibile non cognosceret Deus ulla objecta, cognosceret tamen, seipsum ut est interrogatus, an cognoscat se intuitivè, responderet cognosco, & tamen non posset dicere, quod se ipsum cognoscat, non per modum alius. Quod ipsum probatur. Quia nesciret, quid sit cognoscere aliud, Ergo non posset affirmare, quod seipsum cognoscat, non per modum alius, prius enim concipi debet illud aliud, & postea negari, quod se non cognoscat per modum alius. Rursus, per imaginariam ut vocant similitudinem arguendo: Si interrogatus oculus respondere posset, quærereturque ex eo, cognoscisne intuitivè colorem illuminatum, responderet cognosco, si autem ulterius queratur, cognoscisne non per modum alius. v.g. non per modum soni vel saporis, responderet nescio: Quia non attingo quid sit sonus, Ergo etiam DEUS cognoscens se ut est, & non cognoscens alia à se, respondere posset, se cognoscere intuitivè, & tamen non posset dicere, se eo casu non cognoscere per modum alius.

NON SATISFACIT 2. Tum quia prædicata negativa posteriora sunt affirmativis, consequenter nec rectè descriptiva affirmativorum: nam definitio debet procedere per prima. Ergo cum non cognoscere per modum alius, sit aliquid negativum, intuitiva autem notitia, sit quid affirmativum, non rectè describetur per non cognoscere, ad instar alius. Tum quia esse in se prius est, quam esse ad aliud, Ergo & esse cognitionem intuitivam, prius est, quam non esse per modum alius, quia hoc est respectivum, & consequens positionem prioris.

ris. Tum quia etiam posito, quod teneat prædicta definitio, saltem non dictis terminis exprimi debuisse sed potius his: Intuitiva est quæ attingit objectum non instar aliis objecti à se distincti, cum tamen ponat Oviedo Ly quæ non attingit objectum. Quod autem adlata phrasi potius explicari debuerit, ratio est: Quia cognitio est actus intentionalis, Ergo potius debuit, exprimi & non negari iste actus, cumque cognitio intuitiva, non sit quid negativum, debuisse exprimi potius termino positivo, scilicet adhibendo hunc terminum actus. Et si sufficit termino negativo, describere cognitionem intuitivam, dicam Lapidem habere cognitionem intuitivam Angeli, quia non attingit Angelum instar alius objecti ab Angelo distincti. Quod si dicas non posse id quadrare Lapidi, quia nullo modo attingit Angelum. Sed ut hoc ad propositum serviat, exprimendus fuisse ille actus, termino positivo.

NON SATIS FACIT 3. Quia admittit Oviedo possibilem esse cognitionem quæ sit reflexiva supra seipsam, si autem stare prædicta definitio, non esset possibilis notitia reflexiva supra seipsam, quia nunquam posset reflectere supra seipsam quin saltem confusè reflectat se supra alias: & dicat se non esse talem quales aliæ sunt. Unde non esset purè reflexiva supra seipsam sed etiam reflexiva supra alias.

DIFFICULTAS III.

Explicatur quid Intuitiva?

Cognitio Intuitiva Est cognitio quæ attingit objectum secundum quod ipsum, seu est cognitio objecti sicuti est. Ly Est accipiendo pro aliquo communi ad existentiam & essentiam. Seu est notitia, in qua Ita cognitionis, respondet ad Ita objecti. Ly attingit objectum, Ly cognitio objecti, sunt loco generis, reliqua autem, differentia loco. Non dico autem illam cognitionem attingere objectum ipsum, sed secundum quod ipsum, quia cognitio demonstrativa de existentia Dei, cognitio item fidei credentis Deum, attingit ipsum Deum, sed non secundum quod ipsum, modus enim essendi Dei alius est, à modo, quo illum cognoscimus; Licet ipsummet cognoscamus. Et quod latet sub illis entibus rationis, quæ fingimus cognoscendo Deum, est quidem ipsummet esse Dei, sed non cognitum à nobis, secundum quod est ipsum. Et quidem ut à magis notis ad ignotiora procedamus, quando oculus videt album, quod est album, nigrum quod est nigrum, dicitur videre ipsum se.

cundum quod ipsum, sic intellectus, tunc etiam dicitur noscere intuitivè, quando noscet ipsum objectum, secundum quod ipsum. Rursus non dico quod cognitio intuitiva attingat objectum secundum quod ipsum est. Quia Ly est, ambiguum faceret sensum, an non supponeret pro existentia. Hinc etiam in secunda explicatione positum quidem Ly est, quia non potuissent sine illo concipi verba explicationis possunt autem concipi in priori illa explicatione. Unde & in priori explicatione omissum Ly est. Ideo autem non debet accipi Ly est, sumptum pro existentia, quia indubiè intuitivè possunt nosci, saltem à Deo, etiam non existentes res.

EXPLICARI POTEST ULTERIUS hæc definitio à paritate cum visione oculari. Intueor Cæsarem præsentem, attingo ipsum secundum quod ipsum, si autem obtrudatur mihi alius similis illi in aliquibus, vel is, qui personam ejus gerit: eo casu non viderem Cæsarem secundum quod ipsum; & si acciperet Cæsar larvam non viderem eum secundum quod ipsum, non diceret attingere intuitivè. Fundatur ulterius hoc totum in hoc principio. Objecta quantum est ex vi sui, & ex natura sua, petunt non nisi intuitivam cognitionem. Quia id quod petit cognosci, petit, secundum quod convenit ei prædicatum intelligibilitatis, & quia hoc prædicatum intelligibilitatis, est ipsamet rei entitas, sicut unaquæque entitas non petit nisi suam entitatem, non petit ipsum esse, nisi secundum quod ipsum est, sic nec petit intelligi aliter, nisi secundum quod ipsum. Rursus appetitus ille quem habent, ut ita dicam objecta, non est alius, nisi ut se notificent noscenti quid sint, & quia hæc notificatio rei, non habebitur, si non noscantur secundum quod ipsa, sit ut appetendo nosci, appetant nosci secundum quod ipsa. Ly ergo nosci secundum quod ipsum, reddit hunc sensum; quod si sit intuitiva adæquata, debeat secundum quod ipsum adæquatè noscere, secus si sit intuitiva inadæquata, tumque cognoscetur secundum quod ipsum, quando ut dixi, Ita & modus noscendi, respondebit ad Ita & modum objecti.

RATIO 1. Bonitas explicationis desumitur ex auctoritate Sancti Pauli, qui visionem beatam explicans phrasi hac utitur. Videmus nunc in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, item videbimus eum sicuti est, quæ verba coincidunt cum nostra explicatione, idemque significant, ac dicere: noscemus Deum, secundum quod ipsum.

RATIO 2. Quia prædicta explicatio, convenit omni soli, & semper, proceditque per prima.

RATIO 3. Quia reliquæ omnes descriptiones ab aliis adlatæ, supponunt hanc nostram, ad eamque revocari possunt. Imprimis non

† (Q) 2 cognosci

cognosci per modum aliū, revocatur ad cognosci secundum quod ipsum, tanquam negatio ad prædicatum affirmativum, ad eum modum, quo negatio brutalitatis in Petro, revocatur ad esse hominis. Causari à propriis speciebus, ab ipso objecto, à Deo per se, vel per alium supplemte propriarum specierum vel objecti concursum, revocatur tanquam principium elicitive cognitionis, attingentis objectum, secundum quod ipsum. Item cognosci non præscindendo, revocatur tanquam species aliqua ad genus. quod ipsum revocari, est signum à posteriori recte definitionis, sicut quia omnia revocantur in homine ad animal rationale, signum est, per animal rationale, recte definiri hominem.

DICES Non omnis veritas est cognitio intuitiva, & tamen omnis veritas, cognoscit objectum secundum quod ipsum. Ergo cognitio intuitiva non est cognitio attingens objectum secundum quod ipsum.

RESPONDETUR solvi hanc objectionem etiam in prima parte, nunc suffecerit dicere. Cum omnis cognitio intuitiva sit vera, non est mirum, involvi in illa, etiam prædicata veritatem indicantia; nihilominus distinguitur sufficienter formalitas veritatis, à formalitate intuitivæ, quia veritas dicit radicalem existentiam conformitatis cum objecto, secundum quod ipsum, nihil requirendo, de modo illius ipsius conformitatis, representandæ. jam autem intuitiva requirit hunc modum, ut scilicet noscatur objectum secundum quod ipsum, & ut ad Ita objecti, respondeat Ita modi noscendi.

INSTABIS saltem cognitio quidditativa non est cognitio intuitiva, & tamen cognoscit objectum secundum quod ipsum.

RESPONDETUR negando, quod cognitio quidditativa, non sit cognitio intuitiva, de quo actum in Ethicis.

Quæri hic solet quid à nobis cognoscatur intuitivè. Imprimis actus nostros, quos de facto experimur nos habere, cognoscimus intuitivè, non quo ad quid sint, sed quod sint. Quod autem non cognoscamus illos, quo ad quid sint ratio est quia sunt spirituales, nos autem in corpore, non cognoscimus spiritualia, quo ad quid sint. Imò putarem, quo ad quod sint illos actus sine ullo phantasmate nosci, seu sine specie impressa, nulla enim illius necessitas. Quod autem actum suum internum noscere possit anima, licet oculus non possit videre suam visionem referri id debet in hoc, quod intellectus sit potentia supra seipsam reflexiva, & latioris spheræ; oculus autem adstrictus, ut nihil videat, nisi coloratum. Quod posita abstractione possit aliquid intuitivè videri petatur ex prima parte, ex quo fundamento dubitari posset, an non etiam rationes communes ipsæque universalis, à per-

fectiori intellectu, intuitivè nosci possint, si cate-roqui aliæ rationes abstractæ, sunt intelligibiles intuitivè.

QUÆSTIO II.

Quid notitia Comprehensive?

DE hoc discurrere spectat ad primam partem, tamen etiam hic tradenda est ejus aliqua notitia.

NOTO 1. breviter ex prima parte, Notitiam comprehensivam, esse notitiam intuitivam perfectam, à principio saltem æquè perfectæ, atque est objectum noscibile. Hinc nulla creatura erit comprehensiva Dei, quia nulla productiva notitiæ, quæ sit ab illa, tanquam principio æquè perfectæ, atque est perfectum objectum, quod est Deus! Bonitatem hujus explicationis suppono inibi probatam.

NOTO 2. duplicem comprehensionem nos imaginari posse, unam adæquatam, aliam inadæquatam. Comprehensio adæquata est, per quam attingitur comprehensive totum objectum. Comprehensio autem inadæquata, per quam attingitur objectum inadæquate, Comprehensive tamen quoad illam partem. Quod possit sic dividi comprehensio. Ratio est. Tum quia sicut possibilis est, differentia subalterna, quæ diverso respectu non est differentia, sed genus, cur possibilis etiam non erit comprehensio, quæ diverso respectu, non sit comprehensio. in quantum comprehensio hanc præcisam formalitatem habet, quæ est tenentia totius objecti. Jam quia in materialibus potest comprehendi, v.g. pars pomi & totum pomum non comprehendi, ut si posita divisione partem pomi ambiat manus, Ergo etiam facta præcissione intentionali, divisioneque poterit una pars comprehendi. Tum quia non implicat contradictionem Lumen gloriæ quod elevet, v.g. ad videndam essentiam, & non personas, & cur repugnabit elevatio, per quam homo comprehendat in Angelo gradum genericum spiritualitatis, non comprehendendo differentiam ejus specificam, ita tamen, ut per ordinem etiam ad noscendam, etiam partem objecti, debeat proficisci illa notitia à principio tam perfectæ ad minimum atque est perfectum objectum, saltem defectum perfectionis, elevatione supplente.

NOTO 3. Tam partialem quam totalem comprehensionem spectari posse, vel secundum omnimodam perfectionem, vel secundum non nisi exigitam necessariò; Ad eum planè modum, quo Lumen meridianum, ex Luminibus quæ naturaliter habentur, est Lumen perfe-

perfectissimum, quod illustrare possit objecta, Licet sit & aliud Lumen minus, quale est Lumen crepusculi; ita tamen, ut res, necessario non nisi Lumine, illustrari possit. Porro absolutissima perfectio utriusque comprehensionis includit cognitionem imprimis intensissimam. Deinde extensissimam, seu cognitionem omnium eorum, quæ vel formaliter vel eminenter continentur in objecto.

Quod perfectissima comprehensio utrumque illud requirat. Ratio est, Tum quia illud requiritur ad maximam perfectionem alicujus, quo posito perfectior illa res redditur, sicut ex eo principio quod DEUS sit Ens perfectum, omne illud illi tribuitur, per quod perfectior redditur DEUS. Sed comprehensio perfectior redditur intensione & extensione prædicta, Ergo utrumque hoc, ad illam dum perfectissima est, concurrere debet. Tum quia illud, à posteriori, est perfectissimum, per quod acceditur ad requiritum, quæ necessaria sunt ad comprehensionem, quam DEUS habet de objectis indubiè perfectissimam, & ea comprehensio quæ magis accedit ad eam quam Deus habet de illo objecto, erit comprehensio perfectissima, sicut illud Ens est perfectius, quod magis accedit ad Deum. DEUS autem comprehendit omnia & totaliter, & quoad modum, perfectissimè.

Quod autem attinet ad exigitam perfectionem comprehensionis, istam debere dari in omni notitia comprehensiva. Ratio est, Tum quia nulla est res, quæ non habeat suam essentialiam, adeoque exigitam perfectionem. Ergo & comprehensio similiter habere debebit: tum quia si non habet exigitam suam perfectionem comprehensio, poterit esse unaquæque notitia intuitiva, comprehensio; quia non haberet per quod deiciatur à ratione comprehensionis, non enim cognitio potest deici à ratione comprehensionis cognitionis, nisi negatione prædicatorum exigitorum ad comprehensionem. Si autem nulla sint prædicata essentialiter exigita à comprehensione, quomodo illa cognitio, dicet negationem illorum prædicatorum, per quam deicienda sit, à ratione Comprehensivæ.

NOTO 4. Duplicita posse prædicata spectari in re comprehendenda. Quædam quidem primò essentialia, & primò constitutiva, alia autem prædicata secundò essentialia. Quod notitia horum secundò essentialium prædicatorum non sit necessario requisita ad comprehensionem: probant dicta de inadæquata comprehensione. Quod autem simpliciter sit necessarium ad comprehensionem, cognosci prædicata primò con-

stitutiva. Ratio est, Quia si illa non conciperet comprehendens, & comprehenderet quod comprehendit ut supponitur, & non comprehenderet. Quia res comprehensa, nihil aliud est quam illa ipsa primò constitutiva prædicata, quæ quia non comprehenderentur, nec res illa comprehenderetur. Imò si comprehendens non deberet de necessitate comprehendere prædicata primò constitutiva, nihil esset, quod de necessitate comprehensionis comprehendere deberet, non enim est necesse comprehendere prædicata secundò essentialia, ut dictum, non etiam primò essentialia prædicata ut asseritur: Ergo nihil esset quod necessario comprehendere deberet; Quod dici non potest, quia aliàs non darentur prædicata constitutiva comprehensionis, cuius oppositum probavimus.

NOTO 5. Prædicata secundò essentialia interdum de necessitate debere comprehendendi. Primò si objectum adæquatè comprehendatur. Et ratio est. Quia & adæquatè comprehenderetur objectum, & non comprehenderetur adæquatè, comprehenderetur adæquatè ut supponitur, non comprehenderetur autem, quia illius aliquid non comprehenderetur, nempe prædicata secundò essentialia. Secundò de necessitate comprehendendi debent, prædicata secundò essentialia, si immediate ad illa, terminetur cognitio. Ratio quia & terminaretur ad illa prædicata cognitio, & non terminaretur, terminaretur quidem ut supponitur, non terminaretur autem, quia non attingerentur ut dicis. Deinde prædicata primò essentialia, necessario debent tangi, Ergo etiam ex suppositione, quod tangantur illa prædicata secundò essentialia, comprehensione comprehendendi debeat, quia secundò essentialis conceptus, rebus quidem potest esse secundò essentialis. Sed non sibi, sicut accidit homini esse album, sed albedini esse albedinem essentialiale est. Si autem secundò essentialis conceptus, non est sibi secundò essentialis, comprehendendi ergo debet, comprehensione, secundò essentialium conceptum attingente, cum attingi debeat primò essentialiale in omni comprehensione, primò autem essentialiale est, secundò essentiali, esse secundò essentialiale.

NOTO 6. Casu quo tangantur prædicata secundò essentialia, dupliciter adhuc tangi possunt, vel perfectissimè, vel non perfectissimè. Perfectissimè tanguntur, quando etiam termini quicunque, clarè & evidenti cognitione intuitiva attinguntur. † (Q) ; gun-

guntur, & talis comprehensio nulli etiam perfectissimo enti debita est naturaliter, quia alias debita esset cognitio intuitiva Dei, omne enim ens, de secundo essentiali conceptu, importat, esse creaturæ: Ratio autem creaturæ respicit Deum, tanquam terminum, qui tamen à nulla pura creatura naturaliter videri potest. Rursum creatura dicitur potentiam obedientialem, potentia autem obedientialis termini, saltem aliqui, sunt supernaturales quo ad substantiam, nullum autem ens naturale, potest supernaturale quo ad substantiam intuitivè videre. Non perfectissimè autem tunc tanguntur prædicata secundò essentialia, quando comprehenso ipso prædicato secundo essentiali, termini illius non nisi confusè attinguntur. De quo actum in simili in prima parte, ubi actum de visione unius personæ sine alia.

NOTA 7. Per hoc, quod est attingere perfectissimè vel non perfectissimè, item per hoc, quod est attingere non nisi primo essentialia prædicata, vel insuper etiam secundo essentialia, non distingui comprehensionem ab intuitiva, quia hoc utrique commune est, sed differentialiter per hoc distinguuntur, quia comprehensiva addit formalitatem notitiæ procedentis saltem ab æquè perfecto principio, atque est objectum quod noscitur.

QUÆSTIO III.

De aliis Notitiis.

Sub hoc titulo non examinabimus definitiones notitiarum ad quas ex aliis Locis petendas relegavimus supra, sed attendemus maximè ad hoc, quænam notitiæ? & quænam illarum motiva possint secum stare?

DIFFICULTAS I.

Quænam Intellectiones possint secum stare?

PREMITTO 1. *Vnum eundemque intellectum posse simul plures actus elicere.* Quia si potest oculus plures simul visiones elicere plurium objectorum, poterit & intellectus. Deinde si intellectus non potest se exercere pluribus actibus, nihil unquam posset inferre: nam imprimis debet habere actum illationis, cum sine illatione nihil inferatur, debet etiam

habere cognitionem ejus ex quo infert bonitatisque illationis, quem actum experiuntur rudes arguendi in se explicitum, & directum; hinc si nemo possit se exercere unâ pluribus operationibus, nemo poterit syllogisticè inferre. Deinde potest intellectus, simul percipere plura objecta, ergo & simul habere cognitiones plures, non enim est major ratio unius, quàm alterius. Antecedens autem probatur. Quia alias nunquam posset concipere v.g. tria, sed semper non nisi unum. Denique videtur hoc præbare experientia, pluralitatem cogitationum nobis accidere, in omni distractione in qua duo operamur, v.g. discurrendo, & insuper simul aliud memoriâ versando.

PREMITTO 2. *Non esse difficultatem an isti actus secum stare possint, qui nullam secum dicunt oppositionem, sed an possint stare oppositi actus, quales sunt assensus & dissensus, amor & odium.*

PREMITTO 3. Incipiendo difficultatem ab assensu & dissensu, certum esse apud omnes, illos actus non posse naturaliter secum stare. Ratio est, vel ab ipsa experientia, quia nemo dum videt Petrum currere, judicatque illum currere, judicat simul illum non currere, sola ergo difficultas restat, an id fieri possit supernaturaliter, & quidem nec supernaturaliter id fieri posse, tenet Suarez, Conimbricenses, Ariaga dicitque istam sententiam esse communiorē hic disputatione 6. Sect. 5. Sed oppositum docet Oviedo hic contr. 6. puncto 3.

Punctum Difficultatis I.

Proponuntur fundamenta, Quod assensus & dissensus secum stare non possint.

Quod assensus & dissensus non sit possibile, secum stare.

IMPLICANTIA 1. est, quam adfert Ariaga. Intellectus nequit assentiri falso, atque eo ipso, quod judicet, v.g. simul Petrum currere, & non currere, assentiretur, evidenter falso, Ergo non potest simul assentiri Petrum currere & non currere. Minor probatur, quia eo ipso, quod judicet simul Petrum currere, cursui ei proponitur verus, & ejus carentia ut falsa: quia nihil potest esse simul & non esse, Ergo non poterit, eo ipso quod judicet Petrum currere, dissentiri ipsi cursui, nisi assentiendo falso, dissentiendo vero.

RESPON.

RESPONDET Oviedo. & dubitatimprimis, an intellectus necessariò feratur non nisi in verum, quod si necessariò fertur non nisi in verum sufficit, ut feratur in verum, saltem apparens, potestque diversis actibus, apparere objectum uni actui verum, & alteri ut falsum. Addit, intellectui non semper proponi ut verum cui assentitur, nec ut falsum cui dissentitur, sepe enim nulla præcedente apprehensione, dissentitur, vel assentitur. Quod si non est necesse præsentari semper objectum ut verum, in ordine ad assensum, nec ut falsum in ordine ad dissensum, poterunt adhuc illi actus secum stare, cum tamen ex vi istius repræsentationis, dicantur illi actus, non posse secum stare. Sed posito etiam quod illæ repræsentationes sint necessariae, adhuc naturaliter præcedit semper apprehensio quâ objectum proponitur ut verum, & alia quâ proponitur ut falsum, antequam scilicet intellectus affirmet vel neget: Ergo etiam ex vi illarum repræsentationum, cum illæ coexistere sibi possint, quantum ex vi illarum, etiam naturaliter, sibi coexistere possent, assensus & dissensus. Quem discursum ad argumentum, applicando, dici posset, quod falso, si appareat verum possit assentiri intellectus, consequenter assentiendo dum Petrus currit, Petrum currere, posset assentiri falso apparenti ut vero, præcipue cum proposito vero ut vero, possit falsum proponi, tanquam apparenter verum.

RESPONDETUR 2. Intellectum non posse assentiri falso, naturaliter & se ipsum purè determinando, posse tamen assentiri determinatum ab alio, & non secundum exigentias connaturales. *Quod ipsum ult. scribit.*

EXPLICATUR 1. Proponatur intellectui cursus Petri, denegat DEUS concursum ad eliciendum assensum, quæ enim est in hoc implicantia. Rursus determinet intellectum ad habendum & eliciendum hunc actum, Petrus non currit, jam tunc habebitur dissensus, hoc posito daret adhuc propositio objecti de Petri cursu, & simul D E U S offerat, concursum ad actum, quem sibi vendicat objectum, necessariò tunc elicietur assensus de cursu Petri, quia scilicet intellectus est potentia necessaria, adeoque omnino agens, posita propositione objecti, & aliis requisitis ad agendum.

Neque dicas illum non habere tunc requisita ad agendum, nempe carentiam dissensus, qui supponitur adhuc durare, de

hoc enim queritur cur carentia dissensus, v. g. necessariò sit requisita & indispensable, ad habendum assensum, eritque actus ille adhuc vitalis, quia ex una parte intellectus est principium capax elicienti dissensus de cursu Petri, casu quo non currat Petrus, & ad vitalitatem sufficit, saltem in aliis circumstantiis, posse elici actum, cujus similes ejusdem Lineæ, alius eliciuntur, ut videre est *quid simile* in visione beata.

EXPLICATUR 2. Videat Petrus currentem Andream, & eliciat hunc actum, currit Andreas, non videat autem Paulus currentem Andream & eliciat hunc actum, non currit Andreas, tunc transferat DEUS dissensum Pauli eodem instanti, quo Petrus elicit assensum in intellectum ejusdem Petri, sicut illum ex probabili sententia potest ponere in Lapide. Ostende ergo implicantiam in conservatione illorum duorum actuum in eodem subiecto, & quæcunque adferatur illa ostendet assensum quidem fore vitalem, non autem illum dissensum, sed hoc in præsentia non queritur. Sed queritur implicantia, orta ex præcisâ ratione assensus & dissensus, cur illi secum stare non possint. Vide Oviedo citatum nu. 1.

EXPLICATUR 3. transacto objecto, quod est cursus Petri, determinet Deus, ad habendum actum de cursu, conservando scilicet illum actum, quid enim in hoc implicantia? & si potest dari supernaturaliter visio coloris absentis, cur non poterit dari supernaturaliter conservatio prædicti actus. Ex alia parte informet sensus de cursu, & ex dictis explicatione prima, poterit elicere actum assensus, quo posito, stabit dissensus de cursu, ratione conservationis descriptæ, & assensus de cursu, ratione naturaliter exigite operationis.

IMPLICANTIA 2. est. Si possibilis esset assensus & dissensus circa idem objectum, possibile erit ut sit quis simul fidelis & hæreticus. Consequens est falsum, Ergo & antecedens.

RESPONDETUR. Sequelam else absurdam, non demonstratur. Cur non enim posset Deus determinare hæreticum ad habendum actum fidei, vel conservare in illo actum fidei qui antecesserat v. g. hæresim. Quod attinet ad habitus fidei & hæreseos minor est difficultas, si enim ex dictis alibi peccatum & gratia possunt simul secum stare divinitus, cur non & prædicti habitus.

IMPLICANTIA 3. est ex Suarez. Assensus & dissensus requirunt objecta incompatibilia.

sibilia. Ergo sunt & ipsi actus impossibiles.

RESPONDET Oviedo retorquetque argumentum, quod gratia dignum beatitudine constituat, & peccatum dignum damnatione, & tamen & peccatum & gratia, stant secum in sententia Suarii. Bona etiam & illa disparitas est; quia scilicet assensus & dissensus, non opponuntur sicut esse & non esse, opponuntur autem sic, esse in cœlo, non esse in cœlo.

RESPONDERI POTERIT 2. Intellectus non dat esse objecto extra se, si non dat esse objecto extra se, supposito, quod objectum non sit, non datur causa, quæ simul ponat illud esse, quia mera cogitatio intellectus, de objecto, quod sit, non dat illi esse, si in se non sit; & aliunde non est reperire causam, quæ possit principiare illius esse. hinc supposito, quod non sit, tantum non erit, non verò simul erit. Jam autem posito quod sit assensus & negatio dissensus datur causa quæ possit principiare dissensum & assensum nempe intellectus.

QUOD SI ULTERIUS QUÆRAS. Cur non sit in potestate currentis dum currit non currere, est tamen in potestate intelligentis, dum assentitur, etiam dissentiri, id inde est: quia currere & non currere, sunt ita opposita, sicut assentiri & non assentiri. Porro, quemadmodum in potestate currentis, supposito quod currat, non est, non currere, sic in potestate assentientis, non est non assentiri, supposito quod assentiatur. Sed inde non sequitur, non esse in potestate assentientis, dum assentitur ponere dissensum, quia implicat contradictionem esse & non esse, cadente negatione assensus, supra assensum, jam autem assensus & dissensus non sunt contradictoria, quia contradictoria non possunt esse positiva, quales sunt assensus & dissensus; Rursus quia vera contradictoria, debent esse ejusdem de eodem, jam autem dissensus, negat quidem quod sit ipsemet dissensus consensus, sed non negat alium, à se actum, qualis est assensus, ad eum planè modum, quo album negat non album, sed non negat nigrum.

Quod si dicas assensum & dissensum esse consequenter contradictoria. Contra erit. Quia illa tantum possunt agnolci consequenter contradictoria, quæ exprimuntur quidem terminis positivis, alterutrum tamen importat ex objecto, non nisi formam negativam, sic tenebræ exprimuntur termino positivo, comparatæ tamen ad Lucem, sunt illi contradictoriè oppositæ, quia important sub termino positivo formam non nisi negati-

vam, quæ est privatio Lucis, sub termino autem dissensus, significatur aliquid positivum, nempe actus ipse dissentendi.

INSTAT 1. Idem Suarez. Cum dico Petrus existit, pono existentiam in Petro, & cum dico Petrus non existit, pono negationem existentie Petri, sed in Petro non potest esse existentia & non existentia seu negatio existentie. Ergo neque judicium de existentia & non existentia.

RESPONDET Imprimis Oviedo retorquendo argumentum, nam gratia ponit dignitatem beatitudinis, peccatum autem negat istam dignitatem, & tamen secum stare possunt Ergo idem dicendum in presenti.

RESPONDETUR 2. Cum hoc argumentum non sit categoricum, negando illi consequentiam; Supponit enim talem majorem, quarum cognitionum objecta non possunt secum stare, neque cognitiones secum stare possunt, quæ major probanda fuisset, negaturque in his principiis, & falsitas illius, ad tertiam implicantiam ostenditur.

INSTAT 2. Idem. assensus & dissensus ita se habent ut unus actus destruat objectum formale aliud. Ergo non possunt in eodem subiecto poni.

RESPONDET Oviedo negando antecedens, ad eum modum, quo circa unum objectum materiale, potest esse actus & scientie, & falsi, & opinionis. nec unus destruit objectum formale aliud, Quod ulterius in hoc fundatur, quia actus meus nihil ponit in objecto.

RESPONDETUR 2. Quod saltem in alio subiecto assensus non destruat formale objectum dissensus, aut in casibus supra explicatis, transferatur ergo actus dissensus ab uno intellectu elicito in alium intellectum, qui assensum elicit, habebit uterque suum formale, cur ergo non poterunt secum consistere. Deinde hæc objectio non satis explicat quid sit hoc, per assensum tolli objectum formale dissensus? Si enim idem sit quod tollitur aliquid, quo non posito, non possit judicare intellectus, quod v.g. Petrus currat, si Petrus non currit, & tunc erit petitio principii, de hoc enim ipso queritur. Si autem per objectum formale intelligas, non posse presentari cursum tanquam non cursum, id hoc sensu verum erit, quod supposito cursu, non possit verè representari non cursum, sed cur non poterit presentari apparenter, vel ad maximum ita, ut sine etiam presentatione antecedenti, determinetur intellectus, ad habendum hunc actum: Petrus non currit.

IMPLICANTIA 4. est. Currente Petro, actus ille qui dicit Petrus currit, habet pro obje-

objecto cursum Petri, actus autem, qui dicit: Petrus non currit, non habet pro objecto, cursum, sed non cursum, qui tunc non datur, Ergo est actus sine objecto, vel habet pro objecto non cursum, si autem habet pro objecto non cursum, non erit respectu ejusdem objecti assensus & dissensus, quia objectum quod est cursum, non est objectum quod est non cursum, & tamen ille assensus & dissensus deberet esse respectu ejusdem objecti, & si ille actus habet pro objecto non cursum, verus erit, supponitur autem alterutrum horum actuum falsum esse debere.

RESPONDETUR hanc difficultatem non esse respectu assensus & dissensus ponibilis non nisi in eodem subjecto, sed æque impugnare assensum & dissensum positos etiam in diversis intellectibus, quæram enim currente Petro, si dicat Paulus, non currit Petrus, dicat autem illum currere Andreas, quod objectum habeat ille actus, Petrus non currit. Quod si dicas esse tunc objectum non cursum apparentem, & in præsentia idem dici poterit.

IMPLICANTIA ita est, Non potest idem accedere & recedere, commensurari & non commensurari, Ergo neque assentiri & dissentiri eidem objecto.

RESPONDETUR. Assensum & dissensum ita se habere, sicut se habet replicatus homo, qui potest accedere & recedere, non verò sicut homo uniter positus, quare autem homo uniter positus, non possit accedere & recedere. Ratio est, Quia idem accederet & recederet, ab eodem termino, jam autem si ponatur assensus, non idem assensus dissentiret, sicut idem homo accedens recederet, sed aliquid aliud, distinctum realiter, esset dissensus. Deinde commensurari & non commensurari opponuntur sicut esse & non esse, quia important esse tot partium, & non esse tot partium. Jam autem assensus & dissensus, ut dictum, non se habent, ut esse & non esse.

Punctum Difficultatis 2.

Deciditur difficultas.

ASSERO 1. Non adferri legitimam contradictionem, quod stare secum non possint assensus & dissensus. Ratio asserti, petenda ex solutione argumentorum, jam facta.

ASSERO 2. Non posse esse assensum & non assensum circa idem objectum. Ratio quia habent se sicut esse & non esse, adeoque sunt contra-

dictoria formaliter, de quorum ratione est, non posse secum stare.

ASSERO 3. Non esse ullum positivum fundamentum, quod probet assensum & dissensum posse secum stare. Ratio asserti petenda est ex solutione fundamentorum positivorum.

PRIMUM FUNDAMENTUM est. Assensus & dissensus ita se habent, sicut album & nigrum, sed hæc duo possunt secum stare. Ergo & assensus & dissensus.

RESPONDETUR negando majorem, quia compatibilitatis nigri & albi radix est, quod se in gradibus remissis compatiuntur, jam autem tu concedis, assensum & dissensum neque in gradibus remissis se compati. Ergo sequitur majorem esse repugnantiam, inter assensum & dissensum quàm inter nigrum & album. Quam majorem repugnantiam non pervenire usque ad gradum impossibilitatis etiam divinitus tu positivo medio non probas.

Neque valet, si dicas, In assensu formidoloso compati se saltem in gradibus remissis illos duos actus, quia in assensu opinionis nego esse duos actus. Sed esse unum imperfectè assentientem, quia quando elicio v. g. de cursu Petri assensum opinativum, elicio hunc actum, Petrus fortè currit, fortè non currit, qui duo actus non sunt distincti. Quod ipsum probo, quia in illo actu, quo dico fortè currit, jam involvitur fortè non currit. Sic enim non involveretur: Ly fortè non currit, ille actus simpliciter esset affirmativus. Ergo in se simpliciter non involveret formidinem. Quod si ille actus est unus, non probas, quod in gradibus remissis possint se ita duo compati, cum simpliciter non sint duo, sicut in tepido, sunt duo calor & frigus. Casu autem quo fiant distincti actus fortè currit, fortè non currit, non sequitur adhuc in gradibus remissis duo aliqua se compati. importantia assensum & dissensum, sed tantum sequitur, duos quidem esse actus, sed nihil habere unum de assensu tantum, aut de dissensu tantum.

SECUNDUM FUNDAMENTUM Quia non potest ostendi, unde oriatur, impossibilitas horum actuum, si enim oriatur inde, quia scilicet posito assensu exigit assensus, ne à Deo conservetur dissensus, quamvis adsint quæcunque causæ naturales exigentes & producere illum & conservare, unde enim de hoc quod exigit ita v. g. assensus destructionem dissensus, ut istam exigentiam Deus superare non possit ei quæ contravenire. Rursus si dicas, istam repugnantiam venire ex impossibilitate for-

formali, quia qui præbuit assensum præmissis, quamvis vel per nimiam ad alia objecta attentionem, vel diversionem animæ, possit non exire in actum conclusionis, est tamen impossibile naturaliter, ut exeat in actum dissensus. Nam formalis impossibilitas, debet esse in præsentia utriusque formæ, jam autem quod fieri non possit dissensus, non fit ex impossibilitate, cum assensu, quia hic non est exhibitus ut supponebatur. Deinde si dicas impossibilitatem istorum actuum oriri, ex impossibilitate principiorum, istud etiam est falsum, quia principium utriusque est eadem anima. Denique non aliunde hæc impossibilitas oriri potest, quam ex eo quod objectum intellectui repræsentetur per unum actum, ita ut determinet intellectum, reddatque impotentem tendere in illud objectum, per actum oppositum. Quod ulterius infundatur huic principio; quia intellectus vero sibi proposito dissentiri non potest. Sed id etiam non convincit, quia quærere restat, cur saltem aliunde intellectus determinari non possit, v.g. ad dissensum, cur item, licet intellectus vero dissentiri non possit, etiam tunc dissentiri non possit quando simul, apparenter, videretur falsum.

RESPONDETUR, Hoc argumentum non tam esse fundamentum positivum, quam relabi in negativum, scilicet non implicare contradictionem determinari intellectum à DEO contra exigentiam ejusdem, & quod impossibilitatis hujus nulla sit ratio, hic autem est intentum examinare non nisi positiva fundamenta, cui ipsi negativo fundamento responderi potest, per principium negativum, Non implicare scilicet contradictionem, dari aliquas tales duas formas intentionales, quarum utraque essentialiter exigit non produci simul aliam sibi oppositam, adeoque exigere assensum, ut illo posito, non ponatur dissensus. Immerito etiam assumit arguens quod ut dicantur aliqua impossibilia formaliter, sit necesse, ut utrumque existat, & unum tollat aliud, sufficit enim unum esse, & non posse esse nisi unum, per hoc enim sufficienter formalisatur impossibilitas formalis, ad eum modum, quo species infima animalis rationalis, quæ est homo, excludit aliam speciem infimam hominis hujus, seu talis hominis.

TERTIUM FUNDAMENTUM Ejusdem Oviedo. Ideo non possumus intendere, simul ambulare & non ambulare, quia

objecta proponuntur ut impossibilia, & voluntas, in objectum apprehensum ut impossibile, ferri non potest, etiam si in illud ut possibile apprehensum, sponte feratur, Ergo tota ratio propter quam voluntas non potest ferri in deambulationem & negationem ejusdem, est, ex defectu propositionis, attrahentis ad eos actus, & retrahentis. Sed defectus propositionis potest suppleri à Deo, Ergo potest illud impedimentum tolli.

RESPONDETUR quod defectus, qui facit, ne possit simul intendi deambulatio & non deambulatio, immediate non referatur in defectum propositionis utriusque partis, sed ultimare refertur in ipsorum objectorum impossibilitatem, quæ objecta quia DEUS non potest reddere compossibilia, nec ullà vi poterunt simul intendi, adeoque & proponi. DEUS autem potest supplere defectum, determinando ad propositionem objectorum, sed non nisi compossibilem.

QUARTUM FUNDAMENTUM Ejusdem. Impossibilitas assensus & dissensus, oritur ex solo defectu principii determinantis animam ad utrumque habendum, sed hic defectus potest subveniente DEO auferri.

RESPONDETUR Impossibilitatem illam potius oriri ex oppositione formali assensus & dissensus, quas oppositiones formales, repugnat à Deo auferri.

QUINTUM FUNDAMENTUM est ex iis quæ adducit Ariaga. Datur apprehensio cursus & non cursus simul coexistens. Ergo assensus & dissensus de cursu poterunt etiam secum stare.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia experientia probat, nullam esse formalem impossibilitatem, in dictis actibus. Probat autem impossibilitatem eadem experientia, quæ ostendit assensum & dissensum nunquam secum stare, postque stare non probatur argumento positivo. Quando autem viget à paritate quod si possit dari simplex contentia in re impossibili, possit etiam dari efficax amor, & odium ad hoc etiam prædicta disparitas applicari debet. Concedimus quidem quod intellectus possit judicare utramque partem contradictionis esse probabilem, hoc est, quod neutra habeat rationes cogentes ad determinatè ferendū judicium; Sed non potest judicare utraq; contradictionis partem esse probabilem.

babilem hoc sensu, quasi indicet esse probabile, utramque partem simul existere, indicaret enim probabile, esse & non esse, simul poni.

Punctum Difficultatis 3.

*Verum stare secum possint scientia
& opinio.*

Non est difficultas, an possint secum stare scientia & opinio de diversis objectis. Si enim stare non possunt, aut omnia sciremus, aut omnia nesciremus. Ponamus enim, quod vel unus actus scientiæ habeatur, jam non poterit haberi actus opinionis de aliis objectis. Quia hic est impossibilis cum actu scientiæ. Hinc, si de aliis objectis experiamur nos notitias habere, inferre debebimus, illas esse scientificas non opinativas. Idem proportionaliter dicendum, quod non possemus scire, si vel semel opinemur. *Procedit itaque difficultas.* Non nisi de scientia & opinione circa idem objectum. Agendo autem de scientia & opinione circa idem objectum, agi potest 1. an actus secum stare possent simul elicit. 2. an possint stare ipsi habitus simul. *In hoc puncto sunt divisi Auctores.* Quod habitus & actus scientiæ possint stare cum habitu & actu opinionis idque de eodem objecto. Negat Scotus, & cum eo Bartholomæus Amicus. Affirmant Ariaga & Oviedo cum plerisque nostris, Notat Suarez recentior tractatu Logico numero 165. in opinione duplicem formidinem spectari posse. Primo extrinsecam, quæ se tenet ex parte subjecti, & est dubietas & vacillatio intellectus, in assentiendo objecto, eo quod dubitet, ne forte objectum aliter se habeat. Jam autem formidinem intrinsecam dicit se tenere ex parte cognitionis, & est essentialis opinioni. Hac explicatione formidinis posita. Censent aliqui scientiam cum opinione involvente extrinsecam formidinem, stare non posse, inter quos est novissime recentior Suarez Loco citato numero 178. Inferiusque docet ne divinitus quidem stare posse scientiam cum opinione extrinsecam formidinem habente, Licet possit stare, cum habente intrinsecam non nisi formidinem.

DICENDUM EST *Universaliter actum scientiæ posse stare cum opinione etiam extrinsecam formidinem habente.*

PROBATUR I. Negativo argumento, quia scilicet non implicat contradictionem, ut videbimus solvendo argumenta.

PROBATUR 2. & supponitur quod unus idemque effectus, possit habere causas & neces-

sarias & non necessarias. Quod supposito sic formatur argumentum. Vel potest intellectus etiam naturaliter cognoscere utramque illam causam vel non potest, si non potest, cur non? & si in illatione conclusionis, potest simul relucere utraque præmissa, nexûsque utriusque inter se, & cum medio termino, cur non etiam simul movere poterunt assensum, idque adhuc duplicem, duæ illæ causæ; & si in hac propositione: Ens non est nihil, potest relucere in eodem actu utrumque contradictorium, cur in diversis actibus non poterunt relucere causæ necessariæ & non necessariæ? Ergo opinio & scientia simul secum stare poterunt, quia causæ necessariæ generant scientiam, & non necessariæ generant opinionem.

PROBATUR 3. Fieri potest ut simus dubii de aliqua sententia. In processu cogitationis potest naturalis demonstratio occurrere, tunc quæro vel potest dici simul: priores illæ rationes non notificant verum sine formidine, posteriores notificant sine formidine, vel non potest? si non potest, cur non? si autem potest, Ergo scientia ad titulum demonstrativum, & opinio ad titulum priorum rationum simul stare poterit.

OBJICITUR I. ex recentiori Suarez. Intellectus per scientiam judicat objectum non posse aliter se habere, per opinionem verò attinguntur rationes dubitandi, quod possit aliter se habere, intellectus autem non potest sibi persuadere duo contradictoria, qualia sunt posse & non posse, aliter se habere.

RESPONDETUR. Posse ex vi harum rationum, & non posse ex vi earundem rationum, aliter se habere, sunt contradictoria. Non sunt autem contradictoria, si sunt secundum diversas rationes. Quia autem in præsentī procederet illa persuasio secundum diversas rationes, non esset persuasio contradictoriorum. Respicit hæc ratio, quod in contradictoriis, debeat verificari non tantum idem, sed de eodem, & quidem ratione ejusdem.

OBJICI POTEST 2. ex Oviedo hic controver. §. punct. 3. de objecto de quo certus sum certitudine scientifica, non potest admitti formido, reddit enim intellectum ita certum, ut in nullam suspensionem oppositi cadere valeat.

RESPONDETUR ex vi motivi scientifici, nulla suspicio cadere potest in intellectum nullaque formido, nego tamen quod ex vi alius motivi, cadere non possit; & quod idem objectum per medium scientificum cognoscatur, imperitum est ad adimendam formidinem alteri motivo annexam, quia opinativum medium, semper est opinativum, adeoque nec extrahibile ad gradum scientiæ, & sicut certitudo adhesiva, non adfert cert-

certitudinem objectivam, ita nec certitudo motivi, adferet motivo formidoloso certitudinem.

INSTARI POTEST I. ex eodem. Assensui scientifico per suam entitatem repugnat formido, Ergo etiam ex diversis motivis non conjungetur scientiæ.

RESPONDETUR in sensu, in quo hic ponitur: Ly per suam entitatem, hoc est cum ex elusione potentie ad componenda hæc duo, falsum reddi antecedens. In hoc tantum sensu est verum, sed non ad propositum, quod scilicet assensus formidolosus, non per aliquid distinctum à se, realiter constituatur, in ratione formidolosi.

Instabis 2. ex eodem. Quando duo principia concurrunt unum spirituale & alterum materiale, effectus spiritualis secundum se totum spiritualis est, & à nullo principio est materialis, potest tamen dici non esse spiritualis, ex principio materiali. Ergo etiam non potest dici assensum esse formidolosum, casu, quo etiam objectum ex motivo scientifico cognoscatur.

RESPONDETUR Antecedens indignis explanatione, nam concursus animæ spiritualis cum instrumento materiali quod est organum, non spirituale sed materiale visionem producit, & per alios phantasma materiale, elevatur ab intellectu agente, ad producendam speciem impressam spiritualem. Hæc de antecedenti. Negatur autem consequentia, quia quando duo principia concurrunt duabus diversis actionibus, uno principio non corroborante debilitatem alterius, utriusque finis terminus responderet, ut sit dum robustior portat pondus ut decem, & debilius pondus ut tria, quia autem scientificum motivum, non tribuit opinativo ullas vires, fit, ut utrumque motivum disparatum habeat effectum: hoc est scientiam & opinionem. Secus fit in casu antecedentis: in quo supponitur spirituale agens, tribuere vires materiali, ad eundem effectum.

Objicit 3. Pontius qui censet non quidem naturaliter, supernaturaliter tamen, posse duo hæc tecum stare ut videre est disputat. 22. num. 33. Impossibile est quod quis formidet de opposito propositionis, quam evidenter & certo scit esse veram. Sed scit omnem propositionem circa quam versatur actus scientiæ esse certam & veram evidenter. Ergo nequit habere de ulla tali, opinionem, cum formidine de opposito.

RESPONDETUR hoc argumentum propter Ly impossibile positum probare ne divinitus hæc duo tecum stare posse. Informa autem dicitur, quod sit impossibile ex vi motivi scientifici dubitare, secus ex vi alius motivi.

INSTAT I. Experiencia constat, nos non moveri per motivum incertum, ad assentiendum propositioni, quando habemus certum & evidens. Ergo nequeunt esse simul actus opinionis & scientiæ de eodem objecto.

RESPONDETUR, quando offertur aurum melius in tanta quantitate, ut non sit necesse supplere aliqua ex auro deteriori, experimur semper accipi melius, & tamen inde non sequitur, naturaliter non posse accipi etiam deterius. Ergo nec sequetur ex adlata experientia, non posse actum scientiæ & opinionis tecum stare. Rursus falsum est Antecedens, quia id quod per rationes demonstratum est, interdum congruentius probatur, ut sit probando immortalitatem animæ etiam per rationes morales.

INSTANT 2. aliqui apud eundem. Non potest esse idem objectum evidens & invidens, quia hæc sunt contradictoria vel formaliter vel virtualiter, sed ita accideret si daretur de eodem objecto scientia & opinio. Ergo nequeunt esse simul.

RESPONDETUR. Objecto in se invariato & evidenti, v.g. in se, potest affingi inevidentia, non illa objectiva, sed inevidentia ut ita dicam apparenti; evidens autem in se, & inevidens apparenter, non sunt contradictoria.

DIFFICULTAS II.

Quæ motiva in intellectione tecum stare possint.

PRÆMITTO I. Quis sit in hac materia status questionis? Queritur hic, an idem actus, possit elici ex motivis pluribus, etiam contrariis, v.g. motivo scientiæ, opinionis, fidei. Quanquam hæc questio tractari etiam posset, an scilicet idem actus, etiam propter diversas motiva scientifica elici possit, ita ut uno actu, ex duplici motivo assentiar.

PRÆMITTO 2. Motiva duo scientifica vel motivum unum scientificum & aliud, v.g. opinionis dupliciter considerari possunt. Quod concurrant ad eundem actum, ut advertit Lugo de fide disput. 2. Sec. 3. Primo per modum motivorum, partialium, sine quorum alterutro, intellectus non assentietur, & de hoc nulla potest esse difficultas, quia de facto assensus omni conclusioni non nisi ita elicitur. Cui assentimur, non propter unam præmissam, sed propter utramque. 2. Motiva duo considerari possunt, con-

concurrentia totaliter ad eundem actum, qui modus concurrendi totaliter dupliciter adhuc spectari potest. Primo ut quamvis aliud motivum definat, adhuc tamen idem actus eliciatur, & talis modus concurrendi est impossibilis, quia sicut impossibile est esse idem & duo, ita impossibile est esse idem, Actum, ex duobus motivis factum, & Actum, ex uno motivo. Secundò potest considerari motivum totale concurrans ad eundem actum, quia scilicet ita concurrunt, ut quamvis aliud defineret motivum, tamen vi illius remanentis motivi, paratus esset elicere actum, non quidem eundem, actum tamen consensus v. gr. Et de talibus duobus motivis procedet hic quaestio: An scilicet unus idemque actus assentiendi, possit elici, propter talia duo motiva.

PRÆMITTO III. *Quis sit sensus in hac materia auctorum.* Unum eundemque actum posse elici ex motivo scientiæ & fidei divinæ, item ex motivo scientiæ & opinionis, negat Suarez, Salas, Conimbricenses, Pontius disput. 22. num. 30. Affirmat Vasquez ut eum citat & sequitur Oviedo, Lugo de fide, recentior Suarez. 2. In sententia affirmante est inter cetera in hoc difficultas, cur scilicet potius unus tunc eliciatur actus intellectus, quando enim proponuntur duo motiva, tunc pro sua parte potentia potest principiare duos actus. Videretur autem cum intellectus sit potentia necessaria, possitque plures actus elicere, & habeat omnia requisita, quod sit plures actus elicitor. Sed vi hujus rationis dubitandi, nisi ulterius quid addatur, non habebitur intentum, cur non enim eliciat unum actum, si possit elicere etiam unum. Hurtadus apud Lugonem dicit, quod si simul utrumque motivum applicetur fiat unus actus, sed æquè difficultas est, quomodo simul applicentur duo motiva: & explicato etiam quomodo applicentur duo motiva, quaerere restabit: posita æquali duorum motivorum applicatione, cur non poterit unus vel plures actus fieri. Lugo autem dicit, quod quamvis Angelus qui habet majorem in suos actus reflexionem & potestatem, possit sua voluntate imperare unum vel plures actus propositis sibi pluribus motivis, ea tamen potestas, non videtur concedenda homini in suos actus, quia quamvis homo possit sibi imperare successione actuum, non tamen plures simul, vel unum non nisi. Neque enim possumus postea cognoscere an unus ille actus an plures fuerint, quod si non possumus id cognoscere, nec potestatem possumus attribuire homini id sibi imperandi, cum non possit cognoscere an id faciat; quæ doctrina non responderet ad punctum difficultatis: nempe qui fiat ut unus potius eliciatur actus quam duo. Potius ergo id in id referri debet, quia scilicet DEUS exhibet concursum ad unum non nisi actum, nam in talibus non insequens est ad DEUM recurrere, instante simul

appetitu creato, & conatu, ad habendum talem actum.

PRÆMITTO IV. *Possit concurrere ad eundem effectum & partialiter & totaliter.*

Partialitas rursus duplex spectari potest, vel partialitas ex vi naturæ vel partialitas per accidens; partialiter per accidens ad eundem effectum concurrunt v. gr. duo ignes simul æquè applicati, ita attemperantes suum concursum, ut uterque conjuncta actione agat, & ab utroque verè & realiter producatur effectus. Partialitas hæc per accidens, est vis sufficiens producendi effectum totum, licet hic & nunc, non producatur, partialitas autem effectus ex vi naturæ vis naturæ est, producendi effectum sed non ita, ut sola illa producere possit. Talis partialitas cōvenit speciei impressæ, ex vi enim naturæ hoc habet, ut sola non possit producere intellectionem, in sententia etiam, qui tribuit illi vim effectivam intellectionis. Rursus hæc partialitas, vel potest spectari respectu principii, vel respectu effectus & ita speciei impressæ competit partialitas ex parte principii, sed non partialitas ex parte effectus, quia effectus qui ab illa producitur, est indivisibilis, nempe intellectio. Proportionaliter autem discurrendo de causa totali, alia est causa totalis re ipsa, ut cum solus ignis A. generat ignem B. Et alia totalitas est ratione potestatis causandi, ut cum duo ignes cæteroquin seorsim potentes producere, conjunctim eundem ignem producant. Rursus totalitas alia est in suo genere & alia sine addito v. gr. totalitas materiæ, est totalitas causandi in genere materiæ; totalitas autem sine addito, excludit omne aliud genus causæ, ut cum DEUS, se solo, creat Angelum.

PRÆMITTO V. *Possit spectari concursus tam causarum partialium, quam totalium, quacunque tandem partialitate vel totalitate, cum aliis tamen concansis concurrentium ferme quadrupliciter.*

PRIMO. Ita ut una causa sit potentior, & alia debilior, vel utraque æquè potens agant tamen unaquæque secundum suas vires, quod fit, ex conjunctione utriusque potentiae, ad effectum, de genere suo, intra vim utriusque principii contentum, ita tamen, ut ratione suæ conditionis, illud objectum superet vim utriusque divisim accepti sic v. gr. equus fortis & debilis possunt trahere rhedam, en tractio est objectum contentum intra rationem formalem tractivæ, quod utrique convenit, si tamen Rheda sit ita ponderosa, ut unus sine consortio alius, non sit potens illam trahere, eo casu excedit tractio vires utriusque tractivæ seorsim sumptæ. Hoc posito. Probat universaliter inductio, effectum tunc esse majorem, & superantem vires utriusque principii, divisim accepti.

† (R)

SECUN

SECUNDO possunt duo comprincipia ita agere, ut quamvis jungantur ad agendum, ratione tamen suae heterogeneitatis, conjunctae diversis dispositionibus inter se pugnantibus, unum agat contra aliud, quo casu, sequitur semper effectus dissimilis utrique principio, magis tamen accedens ad principium fortius, ut fit quando asina & equus concurrunt ad productionem muli, vel cum ignis & aer, conveniunt ad productionem, humidi.

TERTIO possunt duo principia ita agere, ut unum sit debilius, & aliud infirmius, sed firmitas unius non tribuit vires ullas debiliori, immò concursus ignobilioris restringit, concursus principii nobilis, ita concurrunt Tibia recta & curva, neque enim recta influit incurvam, ita concurrunt anima spiritualis, cum organo materiali, praemissa affirmativa cum negativa. Ita etiam concurrunt ad constituendum hominem corpus & anima, evaditque compositum non spirituale sed materiale, praemissa item una vera & altera falsa, non faciet nisi ignobiliorem conclusionem, hoc est falsam. Ex quainductione habetur, ita concurrentibus principiis, debiliorem semper sequi effectum, & ignobiliorem.

QUARTO duo principia possunt eo modo concurrere, ut unum, quod est fortius, debiliore vim & robur agendi communicet, & ita evenit cum discipulus dirigitur à tenente manum Inspectore ad scribendum. Item cum Lumen supernaturale, confortat intellectum &c. &c. & in talibus inductio ostendit, quòd effectus sequatur conditionem nobilioris agentis, hinc tunc discipulus meliores formabit characteres, & visio evadet supernaturalis. Porro quando duae causae una firmior altera debiliore concurrunt ad eundem effectum, non de omnibus pronuntiandum universaliter quod firmior causa eleve debiliorem, sed haec elevatio per experientiam haberi debet, vel per naturam principii nobilioris, & sic experientia adstruit, quod in concursu adscribendum boni & alius imperfecti scriptoris character sequatur principium nobilius, & natura Luminis gloriae (per Patres explicata) est, ut tribuat vires agendi, intellectui naturali illumque eleve.

Punctum Difficultatis I.

Quid tenendum?

DICENDUM EST. Possibile esse unum, eundemque actum ex duobus motivis fieri scilicet scientiae & opinionis.

PROBATUR I. Quia hoc non implicat contradictionem, ut videbitur, in solutione argumentorum. Quod autem id etiam naturaliter fieri possit, ratio est, quia non apparet, unde id excedat vires intellectiva sibi relictas.

PROBATUR II. Tum quia propter duas praemissas elicitur conclusio. Ergo & unus actus potest elici propter duo motiva. Tum quia possunt plura objecta quae poterant attingi pluribus actibus, eodem actu attingi, Ergo & plura motiva, quae poterant formalisare plures actus, possunt formalisare unum actum. Tum quia unum eundemque actum voluntatis possumus elicere ex duobus motivis v. gr. volitionem deambulationis propter recreationem, & visitationem amici; ergo idem dicendum de actibus intellectus.

RESPONDET Ad hanc ultimam paritatem Pontius, dando disparitatem. Quia voluntas, non est causa naturaliter agens respectu sui actus, nec consequenter, objectum propositum sub uno motivo, determinat ipsam ad actum, sive proponatur sub illo solo motivo, sive proponatur sub diversis motivis; adeoque non est conveniens, quòd voluntas uno actu possit tendere in illud objectum. At intellectus, est causa naturaliter agens, respectu actus scientiae & opinionis v. gr. licet quantum ad actus opinionis & fidei subordinetur voluntati. Unde determinatur ad plures actus positos istis motivis praecipue cum non possit à voluntate determinari, ut possit prohibere unum actum vel plures elicere.

CONTRA EST I. Potentia libera, potest unum actum exercere ex pluribus motivis, Ergo poterit & necessaria, immò ad hoc magis videtur conducere necessitas in operando quam habet intellectus, eò quòd liberum non sit illi resistere, quin simul moveant illa motiva, & ille moveatur simul illis motivis, quare neque restat, cur movetur simul, duobus simul motivis eandem potentiam necessariam, non sit illa, unum tantum actum elicitura.

CONTRA II. Potentia cujus actum non sibi determinat motivum sive sit unum sive plura, potest elicere actum, qui sit propter duo motiva, Ergo & potentia intellectiva, in qua motivum determinat sibi actum, si illi proponantur simul duo motiva, poterunt sibi determinare unum actum.

CONTRA III. Si concurrat simul motivum scientiae & opinionis, potest voluntas inclinare ad motivum opinativum amplectendum, Ergo & poterit elici unus actus ex utroque motivo. Antecedens probatur. Potest extra circumstantias concurrentis moti-

motivi scientifici, determinare voluntas intellectum ad sequendum hoc motivum. Ergo multo magis poterit inclinare in circumstantia motivi scientifici, facilius enim est, inclinari intellectum ad id, ad quod aliunde propendet, ut propendet ex motivo scientifico, imò necessitat ad actum.

PROBATUR III. Conclusio. Imprimis potest naturaliter habere sibi propolita duo motiva intellectus, quorum aliud sit v. gr. scientiæ aliud opinionis cur non enim? difficiliusque videtur, si diversi simul actus fiant, quam si proponantur diversa non nisi motiva, occupante se intellectu, tam circa motiva proponenda, quam circa ponendos actus.

Quod si possunt proponi duo simul motiva, cum non sit ratio, cur unum potius moveat quam aliud, idque in suo & sibi debito genere, non erit ratio cur non ex utroque motivo fiat actus.

OBJICIT I. Pontius citatus. Licet intellectus possit habere plures actus circa diversas conclusiones ex motivis scientiæ & opinionis, tamen de facto nequit habere unum actum, ex diversis illis motivis circa plures conclusiones, Ergo quamvis de facto possit habere plures actus, ex diversis motivis, scientiæ & opinionis, circa unam conclusionem, non tamen poterit habere unum actum, ex diversis illis motivis, circa eandem conclusionem. Consequentia probatur. Quia scilicet sicut una conclusio determinat sibi unum actum, ita & unum motivum, determinat sibi unum actum.

RESPONDETUR. Negando consequentiam. Quia de essentia Conclusionis est, inferri ex his positis, seu eo quod hæc sint, quod si de essentia Conclusionis est inferri ex his positis, si nulla sit Conclusionis connexio, cum præmissis, hoc ipso ex illis inferri non potest, Conclusio: quæ rursus connexio Conclusionis cum præmissis, est ejus naturæ, ut nihil debeat esse in Conclusionem, quod non fuerit in præmissis. Sicut ergo eadem præmissæ non sunt plures seipsas, sic nec plures Conclusiones in se continent, nam continentia Conclusionum, sunt ipsæmet illæ præmissæ. Quod si non continent plures in se conclusiones plures conclusiones ex illis inferre, esset inferre id, quod non sit in præmissis. Cum tamen ex regula Dialectica, nihil debeat esse in conclusionem, quod non sit in præmissis. Jam autem si unus actus fiat ex pluribus motivis, non sequitur quidquam inferri quod non contineant in se illa motiva. Addo Antecedens ipsum debuisse explicari à prædicto auctore, quia certè per enthymemata, ex eodem principio, inferuntur plures Conclusiones.

INSTAT I. Idem. Nequeunt duæ conclusiones cognosci unico actu, ex diversis motivis, quia unica conclusio, cum uno motivo, est sufficiens causa unius actus, & consequenter quoties ponitur, sufficiens causabit illum unicum actum, sed una Conclusio cum uno motivo scientiæ v. gr. est sufficiens causa actus scientiæ, qui non sit opinio. Ergo causabit illum actum & consequenter non causabit actum, qui sit opinio.

RESPONDETUR. Transeat major, bene enim unico actu conceptis duabus conclusionibus possum dicere utramque legitime inferri, distinguis, interim minorem unica Conclusio cum uno motivo scientiæ, si non addit in super motivum formidolosum, est sufficiens causa actus scientiæ, qui non sit opinio, concedo minorem est sufficiens causa illius actus si ille actus in super formidoloso motivo moveatur, Nego minorem, sub eademque distinctione consequentiam. Quam distinctionem ideo adhibeo, quia supponit argumentum unum actum ex diversis motivis procedentem non fore diverso respectu scientificum, si procedat ex motivo scientifico, & non fore opinionem, si idem actus procedat ex motivo opinativo.

INSTAT II. Idem. Quotiescunque applicatur causa naturalis ad æquata alicujus effectus, producat illum effectum, nisi ponatur aliquod impedimentum sed Conclusio scientificè propolita, cum intellectu, est causa ad æquata actus scientiæ, quæ non est simul actus opinionis Ergo quoties applicatur, sufficiens absque impedimento, causabit illum actum.

RESPONDETUR. Concedo totum, sed quia possunt applicari simul plures Conclusiones & plura motiva, poterunt etiam eundem actum scientiæ causare.

INSTAT POTEST III. Unus idemque effectus non potest causari duabus causis ad æquatis Ergo nec formalisari à duobus motivis.

RESPONDETUR. Si antecedens procedat de causis ad æquatis diversi generis est falsum: nam homo in genere causæ materialis totaliter constituitur à corpore & in genere causæ formalis totaliter ab anima. Si autem res sit de duabus causis totalibus, ejusdem generis, idque in ordine ad potentiam naturalem, verum est antecedens. Sed ad consequens, respondet citatus Lugo; illa duo motiva non esse singula ad æquata, respectu hujus assensus. Quia tunc Solum dantur duæ causæ ad æquata ejusdem effectus, quando ablata una illarum; manet idem effectus, ex vi concursus, quo dependet ab altera, hic autem assensus ablato uno ex his motivis, non posset esse idem ullo modo, cum altero solo motivo. Dicuntur autem illa motiva, totalia, quia ita approbantur, ab intellectu, ut manente altero solum, fiat alius assensus circa eandem Conclusionem, propter solum

† (R) 2 illud

illud motivum, quod remaneret, sed aliter insuper

RESPONDETUR II. Disparitatem esse. Quia si causæ ejusdem generis totales concurrunt ad eundem effectum, alterutra esset frustra, non erunt autem frustra, si sint causæ totales in diverso genere, quia verò motivum totale opinativum & totale, quod est scientificum, non sunt ejusdem generis imò & duo scientifica, qui à aliam & aliā importabunt rationē formale, sit ut neutrum ex illis sit otiosum & utrumque præster suum effectum. Neque valet si dicas sequi ex hac responsione duas formas substantiales, totales posse esse intra eandem materiam, quia sunt diversi generis, & quem effectum præstaret una, non præstaret alia non inquam hoc dicas, quia illæ formæ aliunde, secum habent repugnantiam nempe ratione dispositionum contrariarum, temperamentorumque diversimodorum, quæ quia naturaliter secum stare non possunt, nec formæ etiam illæ secum stare poterunt, quamvis singulæ, alium effectum formalem præstare sint notæ.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur objectiones.

Obijciuntur secundo variz Paritates.

PRIMA PARITAS est, duæ differentię specificæ non possunt conjungi intra eandem entitatem, ut sit idem homo & bos, Ergo etiam neque possunt conjungi duæ differentię specificæ actuum, qualis est differentia specificæ, intra scientiam & fidem, scientiam & opinionem &c.

RESPONDET I. Oviedo. Non posse ex duabus speciebus oppositis resultare unam tertiam, neque id contingere, quando idem actus sit ex plurib⁹ motiivis: quia ille actus nō resultat, neque habet illam speciem quam habet actus qui est purus actus fidei, neque illam speciem habet, quam habet purus scientiæ, sed habet tantum prædicata fidei & scientiæ. *Hæc responsio*

NON SATISFACIT II. Quia ille actus elicitus v. gr. ex motivo scientifico & opinionis, & haberet prædicata non nisi universalia scientiæ & opinionis ut ille supponit, & simul etiam haberet prædicata ultimo differentialia scientiæ & opinionis, quia prædicatum hoc, est ipsummet v. gr. motivum scientificum & opinativum, movens in actu, & si movet Actum, hoc ipso tribuit suam speciem.

NON SATISFACIT III. Quia quod dicit diversam illic fore speciem, hoc ipsum videtur impossibile, sicut impossibile est, ut ex homine & Leone, diversa fiat species.

RESPONDETUR II. Retorquendo argumentum. Species impressa repræsentativa hominis, est diversa à specie repræsentativa bovis, & tamen hæ in universalioribus Angelorum speciebus concreverunt, alia item est specie cognitio & hominis, & alia cognitio bovis & in tamen in una simplici qualitate secundæ operationis unico actu dicere possum, homo non est Leo, Ergo etiam quid in simile præsentanti contingere potest.

RESPONDETUR III. Duplicem esse specificationem intrinsecam & extrinsecam specificationem intrinsecam habetur ab ipsamet entitate, specificatio autem extrinsecam habetur ratione obiectorum, terminorum &c. implicat autem unam eandemque rem, habere duplicem specificationem intrinsecam, nam deberet esse identificatio duarum specierum, quæ identificatio, est formalissime ens rationis. Possibile autem est unam eandemque entitatem, habere diversas specificationes ab objectis, quia nulla ex hoc sequitur Implicantia. Neque enim duo objecta: illa, deberent inter se identificari neque ulla alia sequeretur identificatio, aliam enim, unumquodque ex illis objectis, haberet vim movendi, neque una vis, identificaretur alteri. Quia verò specificatio ratione motivorum diversorum, esset specificatio ratione diversorum obiectorum, adeoque extrinsecam, benè in unam entitatem colligi poterit. Et ita bos & Leo possunt circa idem objectum versari, habereque idem specificativum extrinsecum, licet quoad suam entitatem seu specificationem intrinsecam, non possint adunari.

SECUNDA PARITAS. Ex apprehensione & Judicio, affirmatione item & negatione, non poterit conslari tertia species actus, Ergo neque potest esse tertia species actuum, quorum aliquis sit scientia & opinio vel scientia & fides.

RESPONDETUR. Disparitatem esse. Quia non apparet, quid tertium conslari possit, ex apprehensione & Judicio, nec apparet quid induceret illud tertium; affirmatio item & negatio, identificari non possunt, quia identificarentur duo contradictoria, quæ identificatio non sequitur ut dictum, si idem actus procedat ex motivo scientiæ v. gr. & opinionis inductivumque talis actus ostenditur, diversitas motivorum simul repræsentatorum. Addo quod identificatio affirmationis & negationis traheret secum, illorum duorum identificationem quoad intrinsecam, nec enim desumeretur specificatio ratione obiectorum. Si autem idem actus sit opinionis & scientiæ erit non nisi duplex specificativum extrinsecum.

extrinsecum ejus actus. Caterum si dicta paritas hoc velit quasi non possit esse unus idemque actus continens apprehensionem & Judicium, affirmationem & negationem, tunc paritas negandum Antecedens.

TERTIA PARITAS est ex elephante & gallina non potest generari quidquam tertium, Ergo nec ex scientia & opinione, quia sicut ex elephante & gallina non generatur quidquam propter summam utriusque improprietatem, ita propter improprietatem non concurrent ad eundem actum, Scientia v.g. & Opinio.

RESPONDETUR ut improprietatem faciat, ne duo principia concurrant ad eundem effectum, debent esse cetera paria. Certè enim nulla est proportio inter bacephalum & asinum, inter Caelos & Angelum, & tamen inter hæc, datur concursus, ad eundem effectum. Imò hæc improprietate reperibilis est in omnibus causis æquivocis. Tunc ergo improprietate impedit actionem, quando conjungitur negationi virtutis causandi, cujus negationem experientia probat vel ratio. Et ita quod non possit quidquam generari ex elephante & gallina experientia & ratio ex inæqualitate membrorum petita probat. Jam autem, quamvis opinativum motivum & scientificum, sint sibi improprietate, nec ratio, nec experientia ostendit quod non habeant vim concurrenti ad eundem actum.

INSTABIS quando generatur mulus, concurrunt duo principia specie distincta, proditque effectus, utrique causæ dissimilis, qui nec est asinus, nec equus; Ergo etiam quando duo motiva, scientia v.g. & opinionis, ad eundem actum concurrunt, prodibit actus, utrique principio dissimilis; consequenter non erit actus, qui sit scientia & opinio.

RESPONDETUR. Negando consequentiam, quia ex pugna seminum & qualitatum, mutuaque actione & repassione, debet prodire mistum, utrique suo modo dissimilis. Jam autem motivum scientificum & opinativum, non habent similes pugnas qualitatum, adeoque poterit prodire actus, qui sit scientia & opinio.

OBJICITUR III. Ille actus foret evidens & inevidens, clarus & obscurus.

RESPONDETUR. Ratione diversi motivi fore evidentem & inevidentem, certum & incertum; sed non ratione ejusdem. Erit quæstio de voce; An debeat ille actus vocari inevidens & incertus, & secundum communiorum modum loquendi, non debet vocari incertus & inevidens, quia ista prædicata sunt negativa, adeoque malignantis naturæ, & omnis prædicati sibi oppositi, consumptiva, consequenter sublativa omnis evidentie, & omnis certitudinis, quæ tamen diverso respectu conveniunt illi actui.

INSTABIS. Ille actus nullum haberet sui principium elicitive, si enim ille actus est opinionis quomodo ad illum causandum concurreret scientia quæ formidinem rejicit.

RESPONDETUR. Habitum principium intellectum informatum illis duobus motivis.

OBJICITUR IV. assumitur pro Principio in Dialectica. Conclusio sequitur debiliorem partem, adeoque si concurrant Præmissa probabilis & scientifica, Conclusio sequetur non nisi probabilis. Ergo etiam in concursu ad eundem actum, tam motivi scientifici quam opinativi, sequetur actus, qui sit non nisi opinio.

RESPONDET recentior Suarez, id verum esse, quando scilicet partialiter non nisi concurrunt motiva, secus cum concurrunt totaliter. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT quia querere restat, cur id contingat si partialiter concurrant causæ, & non contingat, si concurrant totaliter?

RESPONDETUR. Ex dictis Disparitatem esse, quia Præmissa concurrunt sicut principia, tertio modo concurrentia ut probat Logica. Jam autem duo illa motiva, non repugnat concurrere ita, sicut principia primi generis, vel quarti.

OBJICITUR V. Si idem actus potest esse fidei & scientiæ, poterit etiam idem esse naturalis & supernaturalis.

RESPONDETUR. De hoc inferius inquirendum esse.

Continuatur solutio.

Mastrius Disp. 6. Animast. oppositum sentit & num. 263. ita

OBJICIT 6. Non potest dari una species impressa plurium quidditatum disparatarum. Ergo nec poterit dari una species expressa, unusquisque enim actus determinatus & limitatus est, ad quoddam suum adequatum objectum, à quo sumit unitatem & specificationem. Unitas enim posterioris, pendet ab unitate prioris. Ergo cum actus sit posterioris natura objecto, ab unitate objecti pendebit.

RESPONDETUR. Negando antecedens unde etiam in Angelis quod perfectioribus, concessæ sunt eo universaliore species, imò posset concedi, quod unâ Angelus posset noscere tot objecta, quot sunt representabilia ab una specie universalis, sed quamvis non posset noscere simul omnia objecta, quot possunt representari, ab una specie universalis, non sequitur illius speciei impossibilitas. Quamvis enim species ordinetur ad actum cognoscendi sibi adequatum, non sequitur, quod inadæquatum sibi actum elicere non possit, sicut potentia A portativa ponderis B C D. tanquam sibi adequati, non sequitur, quod non possit portare pondus tantum B sibi inadæquatum. Et sicut pendet à circumstantiis ut tantum B portetur, quia tantum B occurrit portandum, ita fieri potest, ut non omnia objecta noscantur, quæ nosci possunt, habita specie universalis: quia scilicet occurrit hoc potius objectum,

†(R) 3

vel

vel quia potentia, alio actu est occupata, &c. Deinde etiam concesso, quod non possit dari species una impressa plurium representativa, non sequitur quod unum actum indivisibilem, plures species producere non possint. Quia hic actus Animal est Ensmobile, per Maistrum habet plures species impressas, ad se concurrentes, si enim una species impressa ad illum actum concurrat, hoc ipso sequitur dari unam speciem plurium representativam hoc est Animalis & Entis mobilis. Quod autem ille actus, cum sit secunda operatio, sit operatio indivisibilis, immediate ante dictum. Concedo quidem unumquemque actum esse determinatum & limitatum ad quoddam suum adaequatum objectum, sed nego illud adaequatum objectum, esse exclusivum, ne plura in se complectatur: Negoque actum ab objecto, plura in se complectente, unitatem sumere non posse proportionatam, ut scilicet sicut objectum plura in se complectitur, ita & unus actus, plura representet. Quando autem dicitur quod ab unitate objecti, tanquam prioris, pendeat actus unitas, tanquam alicujus posterioris, id eo sensu verum est; quod ab unitate objecti, prout existentis in actu suae scibilitatis, pendeat unitas actus, non autem ab unitate objecti materialiter sumpti. Unde si ab unitate objecti materialiter sumpti, penderet unitas actus, non daretur ullus terminus complexus, qui hoc ipso quia complexus est, plura involvit. Sicut ergo in termino complexo, plura materialiter objecta, ratione objicibilitatis simultaneae, (quae non repugnat) evadunt unum quid, in ratione objicibilis; ita & in praesenti, plura objecta, poterunt habere unam rationem objicibilis. Si autem plura objecta habere possunt rationem unam objicibilis, etiam unum actum terminare poterunt.

INSTAT I. Multiplicato priori Essentialiter, opus est ipsum posterius multiplicari, sicut multiplicata unitate, multiplicantur numeri, multiplicata differentia specifica, multiplicantur species, multiplicata causa multiplicantur effectus. Ergo si objecta priora sunt plura, actus illa exprimens nequit esse unus.

RESPONDETUR ex dictis, quod si objecta sint plura formaliter, hoc est non una objiciuntur, & actus nequeat esse unus; si autem plura sint materialiter, una autem objiciantur, possint uno actu exprimi. Multiplicata unitate multiplicantur numeri, quia definitivè numerus, est ipsa unitas multiplicata, definitio autem actus, non est objectum, consequenter nec objecti multiplicatio, invehit multiplicatam actus; Idem dic de multiplicatione differentiae specificae. Quod autem dicit multiplicata causa, multiplicari effectus: id limitatione indiget; cum omnes effectus sub sint DEO, & causis universalibus, & tamen multiplicantur causae particulares. Sed concesso etiam assumpto, disparitas erit: quia multiplicata causa, nisi ponantur multipli-

cati effectus, non habet unde multiplicetur & causa jam autem multiplicatis objectis, & non multiplicato actu, habebit in quo salvet suam multiplicatam objectum, nempe in ipsa vi, ut possit multiplici actu attingi, licet non attingatur multiplicibus actibus, & sicut unum idemque invariatur objectum, potest plures actus terminare, nec id destruit unitatem objecti; ita quamvis objecta plura attingantur uno actu, non destruetur id multiplicatam objectorum.

INSTAT II. Actus ita specificantur ab objectis extrinsece & causaliter, quod licet ex entitate objecti, non valeat semper inferri unitas actus, unde diversae potentiae, possunt versari circa idem objectum, nihilominus ex distinctione objectorum, si praesertim sint formalia & prima, valet semper inferre, distinctionem actuum.

RESPONDETUR. Concedo ex distinctione objectorum formalium, si in ratione suae objicibilitatis, multiplicatam hanc exerceant, adferri multiplicatam actuum, sed nego quod distincta objecta, non possint carere exercitio hujus multiplicitaris, in ratione objicibilis.

INSTAT III. Actus, est naturalis similitudo objecti, non videmus autem, quomodo inter se objecta valde diversa, possint per eandem imaginem representari.

RESPONDETUR. Materialitas colorum, & termini diversi, faciunt, ne valde diversa, eadem imagine represententur, simile autem nihil obest, ne imago intentionalis, plura representet. Ostende enim quid illud?

INSTAT IV. Admisso quod possint plura objecta disparata simul uniri ad eundem actum causandum, tolletur omnino specificatio actuum per objecta.

RESPONDETUR. Specificabuntur & multiplicabuntur actus per objecta, prout exercent rationem objicibilem, ita, ut si unum tantum objiciatur, unus sit futurus actus, si plura, una tamen se objiciant, possit fieri actus unus, secus si non simul objiciantur.

INSTAT V. Etiam in scientiis assignatur unum obiectum totale praeter partialia, si autem plura objecta possint uno actu attingi, ad quid esset necesse desudare in objecto inveniundo.

RESPONDETUR. Quod sit difficultas in inveniendis objectis attributionis, ea non exinde oritur, quod plura, non possint uno actu attingi, sed ex eo, quod sit necesse invenire aliquam rationem communem, quae quidem de aliquibus praedicatur ut genus, tanquam de speciebus objecti, ita ut omnes species, ad illud revocentur, non in ratione noscibilis utcumque, sed scibilis scibilitate tali; Rursus ut ad illud revocentur reliqua, vel tanquam passionem, vel tanquam principia, vel tanquam opposita, quae tota difficultas manet, licet plura uno actu attingi possint.

OBJICIT 7. Immerito à nobis recurri ad aliquas instantias: Prima Instantia de sensu communi, qui unus, attingit objecta particularium

sensuum, non enim dicitur sensus communis, quod per communiore cognoscatur species, sed quia virtutem habet illimitatam sentiendi omnia, quæ sensus exteriores percipiunt.

RESPONDETUR. Quidquid sit an sensus communis, per communiore quia magis sibi proportionatas species intelligat sufficit ad intentum sententiæ hæc illatio: Potest virtus particularium sensuum, in uno sensu communi colligi, ergo & virtus specierum in una specie communi.

SECUNDA INSTANTIA à nobis usurpatur de actu voluntatis, qui unus, vult propter plura motiva, in quo est magna disparitas. Nam voluntas est causa totalis sui actus, nec obiectum concurrir nisi terminativè. Deinde quia actus voluntatis, non est similitudo sui obiecti, gignitur autem partialiter à suo obiecto actus intellectus, voluntas se habet tantum amplectendo vel respiciendo, non repugnat autem plura uno actu respici, sed non simul exprimi. Denique quia non de hoc queritur, an obiecta illa possint intellectus attingere ut partialia.

RESPONDETUR. Imprimis dubium est, an non obiectum etiam ad actus intellectus, tantum concurrat terminativè ad maximum etiam completivè, sed posito etiam, quod obiectum non tantum terminativè sed mediante specie effectivè concurrat ad actum, restat paritas, cur eodem modo se habere non possint obiecta ac motiva, adeoque cur plura ad eundem actum concurrere non possint? cur gignentia plura obiecta, non possint se habere sicut plura motiva? cum uno actu, plura complecti possit voluntas, cur non & intellectus plura repræsentativè? Denique concedo, non de hoc queri, an plura obiecta partialia, possint intellectus attingere, sed redit paritas: potest moveri voluntas pluribus totalibus motivis, ad eundem actum, ergo & intellectus, plura totaliter obiecta, repræsentare.

Punctum Difficultatis 3.

De reliquis hanc Materiam concernentibus.

ASSERO I. Casu quo concurrat motivum scientificum & motivum fidei, ad producendum, actum supernaturalem, habetur fundamentum dicendi, quod motivum scientificum, elevari possit à motivis fidei.

RATIO, de facto enim fides elevat species naturales, elevat intellectum. Ergo etiam elevare poterit etiam motivum scientificum, nec apparet, casu quo ille actus esset etiam fidei supernaturalis, quomodo possit ad illum scientia viribus propriis procedere.

ASSERO II. Non esse fundamentum, quod naturaliter scientia, sit elevativa opinionis ad actum scientificum una secum eliciendum.

QUIA imprimis sicut sunt Instantiæ, quæ probant ignobiliorem causam corroborari à nobiliori, ita etiam sunt Instantiæ, quæ ostendunt, interdum causam nobiliorem, restringi ab

ignobiliori, cur ergo hanc conditionem non sequitur motivum scientificum & opinativum; tum quia quod adfert recentior Suarez, semper scilicet quando duæ causæ totales concurrunt, elevari ignobiliorem causam à nobiliori, id universaliter falsum est; quia totalis est causa in suo genere anima, in constitutione compositi, sensationis productione, & tamen non elevat materiam ut constituat compositum spirituale, nec organum, ut producat notitiam spirituales.

ASSERO III. *Quamvis non tribuatur ulla vis motivo scientifico per quam elevet motivum opinativum, adhuc tamen poterit elici idem actus ex duplici motivo.*

RATIO, quia sufficit intellectum habere vim eliciendi illum actum, præcipue cum non motiva illum actum eliciant, sed intellectus ex motivis.

ASSERO IV. *Duplicia prædicata posse spectari in actu uno elicto propter duo motiva.* Primo prædicata quædam absoluta, qualia sunt esse

supernaturale vel naturale, neque enim supernaturalitas defumitur à solo extrinseco, hoc est principio indebito omni naturæ concurrente ad aliquem actum, sed etiam ab ipsa entitate effectus, qui etiam ipse in sua entitate spectatus, excedit vires naturæ, aliàs non actus ipse deberet dici supernaturalis, sed principium illius; verumque esset, quod mereremur beatitudinem per actus in entitate naturales quod Pelagianismus sapit. Tale idem prædicatum absolutum, est ratio spiritualis similia, & ad talia absoluta prædicata tribuenda actui illi elicto ex duobus motivis, si intellectus vim non habeat, elevari debet, quomodo enim sine elevatione, illa principietur, consequenter nec poterit idem actus entitative esse naturalis & supernaturalis, spiritualis & materialis, hæc enim non unam sed duplicem entitatem important. Secundo alia sunt prædicata connotativa & respectiva tale est prædicatum veritas, quæ non est perfectio aliqua intrinseca & entitativa, qua careat actus falsus, prædicatum item evidentia, non est aliquid absolutum, sed respicit obiectum, & ad hæc prædicata connotativa tribuenda, non est necessaria elevatio, possuntque etiam aliàs contraria, ad eundem entitative actum movere. Quod non sit necessaria elevatio. Ratio est, quia quod eadem propositio sit principium reliquarum conclusionum, & simul huius discursus, conclusio diversoque respectu etiam propositio, non est necesse, vel à principio propositionem, vel à propositione conclusionem, vel à converso elevari. Ergo neque est necesse, motivum opinativum, à motivo scientifico elevari, præcipue quia elevatio ad hos actus est necessaria, quando effectus est supra vires alius, sed in eo casu effectus quem præstat v.g. motivum opinativum, est intra vires illius, quia tribuit effectum cum formidine assentiendi, quam formidinem tribuere potest, intra vires opinionis.

DICES I. Non produceret actum intellectus, habens motum non nisi scientificum, quem producit concurrente motivo opinativo Ergo non potest producere illum. Sine motivo opinativo Ergo debet elevari illud motivum.

RESPONSUM supra, motivum non producere actum, vel si illum producit, non producit illum tribuendo actui prædicata absoluta, sed connotativa, quæ ut dixi, & consistere secum possunt diversæ, & non indigent elevatione.

DICES II. Hic actus elicitus à duobus motivis, est actus scientiæ, hunc actum producit motivum opinativum Ergo producit actum scientiæ.

RESPONSUM, Jam est à motivis non produci actum, sed etiam si produceretur non convinceret argumentum, quia hic actus respicit motivum opinativum, non quia scientificus est. Videtur etiam posse inverti argumentum, actus visionis beatificæ est actus productus à potentia vitali; hunc actum producit Lumen gloriæ per modum potentiae, Ergo lumen gloriæ est potentia vitalis: sicut ergo hoc argumentum non tenet, quia lumen gloriæ non producit vitaliter actum visionis, nec ab illo est formaliter vitalis, ita actus qui simul est scientiæ & opinionis, ab opinione, non est scientificus formaliter.

DICES III. Esse propter motiva est aliquid intrinsecum actui, Ergo non potest duo intrinseca motiva habere.

RESPONDETUR. Esse propter motivum est quidem intrinsecum actui hoc est non aliquid illi superadditum connotativum tamen, non repugnat autem uni eidemque rei multiplicatas connotatorum.

ASSERO V. Ad actum elicitum ex duobus motivis non concurrunt habitus scientiæ & opinionis aliis præhabiti.

RATIO, quia habitus ad illorum actuum productionem concurrunt, qui similes iis, à quibus illi habitus sunt producti, sed actus ex duobus motivis scientifico v. gr. & opinativo, non est similis iis, quæ generant scientiæ & opinionis habitum, certe enim specie distinguuntur actus ex duplici motivo habiti, ab actibus habitis ex uno non nisi motivo, & sicut alius est habitus Conclusionum, & alius præmissarum, quantumvis nihil sit in Conclusionem, quod non fuerit in præmissis, ita & alius erit habitus actuum proficiscientium ex duplici motivo, ab actibus proficiscientibus ex uno motivo. In non paucis tamen præcontenti habitus, hoc est habitus scientiæ tantum, & habitus opinionis tantum, deservire poterunt.

DISPUTATIO V.

De Voluntate & Volitione in Communi.

EXplicabimus eadem Methodo voluntatem quæ intellectum, à Consideratione ut sic, ad divisionem actuum voluntatis descendendo.

QUÆSTIO I.

Quod objectum & quæ natura voluntatis?

EX dictis de intellectu facile conicere est, voluntatem non esse distinctam ab anima, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate urgentque argumenta aliis proposita. Solvenda restant aliqua argumenta à recentiori Suarez opposita.

DICES I. Cum eodem. Intellectus & voluntas, feruntur in objecta validè diversa, qualia sunt verum & bonum. Modus item operandi est maximè diversus, nam modus operandi intellectus, est assimilativus. Et attractivus objecti, voluntas autem attrahitur ad objectum,

Ergo & principia, hoc est, Intellectus & voluntas sunt distincta.

RESPONDETUR. Si non plus, saltem æquè distincta sunt albedo & nigredo, quàm bonum & verum, & tamen possunt ad eandem specie potentiam visivam pertinere. Rursus alio modo procedit intellectus informanda simplici apprehensione, alio in formanda enunciatione, alio denique in formanda illatione. Rursus, alio modo se habet ipsa voluntas in amando, facit enim prosecutivè & cum suavitatè, alio in odiendo, facit enim hoc fugiendo, & cum amore, & tamen modi hi non arguunt distinctionem formalem. Ergo ex præcisè diversitate objectorum, & modorum tendendi, non rectè arguitur distinctio realis, sed illam probat vel experientia separationis vel ratio pro illa. Ad diversitatem autem illorum modorum agendi salvandam, sufficit ponere distinctionem realem, in ipsismet actibus.

DICES